DE PHAEDRI FABULIS COMMENTATIO.

LUGD.-BAT., TYP. L. VAN NIFTERIK HZ.

DE PHAEDRI FABULIS

COMMENTATIO

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

LUGDUNI-BATAVORUM,
S. C. VAN DOESBURGH.

LIPSIAE,
OTTO HARRASSOWITZ.

MDCCCXC.

CAPUT I.

τίς πόθεν ἔσσ' ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

In densis latet Phaedri vita tenebris. Primum neque annum natalem eius indagare possumus, neque quando diem obierit supremum constat. Atque hanc quidem ignorationem aequo animo ferimus, quoniam eiusmodi sunt Phaedri scripta ut ad ea intelligenda vix opus esse videatur accuratam temporum rationem in promptu habere. Illud gravius quod qua fuerit natione nescimus. Quod si quis a me dictum miretur, hunc admonitum velim mihi vulgo parum recte explicari videri versus qui ad illam rem pertinant. Haec enim de origine sua tradit noster (III Praefatio 17—23):

Ego quem Pierio mater enixast iugo
in quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi
fecunda novies artium peperit chorum,
quamvis in ipsa paene natus sim schola
curamque habendi penitus corde eraserim
et laude invicta (?) vitam in hanc incubuerim,
fastidiose tamen in coetum recipior.

E quibus verbis viri docti, quorum equidem inspexerim libros — et sat magna illorum est copia — efficere solent Macedonem i. e. Graecum natione fuisse Phaedrum. Quod equidem argumentum non hanc ob causam parum idoneum existimo, quod Pierum montem ultra Graeciae fines situm censeam — recte enim Schwabium demonstrasse opinor, id de quo nemo dubitat, Romanorum imperatorum aetate Macedonum, non Thracum fuisse iugum Pierium —; sed quod non id dicere Phaedrum credo quod plerisque dicere videtur. „In Pierio iugo me enixa mater est" ait. Num ergo mater eius Graeca fuit? Et si iam matrem Graecam fuisse credamus, quid obstat quominus patrem vel in extrema barbarie natum putemus? Forsitan me, Lector, labefactare conari suspiceris eam rem quae apud omnes constet et in scirpo nodum quaerere: a te ergo peto ut tecum deliberes et quis sit quem his versibus alloquitur Phaedrus, et quae mox in eodem carmine sequantur. Libertinum enim et ipsum fuisse Eutychum, ad quem libri III prologus scriptus est, et e nomine apparet et e Phaedri admonitione. Lydus fortasse fuit vel Phryx. Eum ergo adhortatur Phaedrus ut mentem excolat. „Si tu" ait „barbaris te adnumerari non vis, me respice; vide quam aegre Musae me in vatum suorum coetum recipiant; et tamen ego literarum non divitiarum amore ductus ad scribendum animum appuli, indefessoque labore doctus fieri studui; quid quod paene in ipsa schola natus sum: in quo enim monte Iovi Musas peperit Mnemosyne in eo et ipse natus

sum." Verba haec sunt, ut opinor, eius cui non prorsus desit argumentum, quamvis illud infirmum esse ipse sentiat, quo se, si non Graecum, tamen Graecis affinem aliquo modo contendere possit. Graecam matrem Graecumve patrem si habuisset, quam se iactasset, quam gloriatus esset: hercle usque a proavis atavisque genus suum enumerasset; neminem enim illo minus a iactantia alienum fuisse mox videbimus. Et qui natione Graecus esset, quomodo illis certe temporibus cum matre, ut opinor — parvulum enim Romam venisse necesse est qui tam bene Latine didicerit — Romam in servitutem abduci potuisset? Sed disertius etiam illud est testimonium quod paulo post de origine sua ipse dicit poëta. Se ipsum barbaris hominibus, qui ingenii et doctrinae laude insignes fuerunt, Aesopo Phrygi, Anacharsi Scythae opponit hoc versu:

ego literatae qui sum propior Graeciae.

Num vere Graecus, Graecis parentibus ortus, ita locutus esset? Minime, ut opinor. Ergo servisse Phaedri matrem apud dominum, qui in Pieria habitaret vel per aliquod tempus moraretur, coniicere possumus; qua natione fuerit vel ipsa vel servus, qui eam in contubernio haberet, et ignoramus et semper ignorabimus.

Sed quoniam et ipse eorum sum, qui et genus et proavos et quae non fecimus ipsi vix nostra vocent, ne haec quidem ignoratio ullo me doloris sensu afficit. Illud magis doleo quod quae illae fuerint aerumnae quibuscum per totam vitam conflictatum esse Phaedrum

ex ipsius verbis apparet, quaeque illae iniuriae quibus se a viris nobilibus crudelibusque affectum tam saepe tamque graviter conqueritur, vel potius unde illae natae sint parum constat. Novi quidem eos qui Phaedri vitam scripserunt sic statuisse fabulis quibusdam homines praepotentes perstringere visum esse poëtam, illosque iram suam indignationemque iusto gravius exercuisse, neque illam ego sententiam improbare vel impugnare velim. Scio enim quot quantisque periculis calumniisque poetarum vita imperantibus Augusti successoribus obnoxia fuerit; sed mera coniectura est, quam qui certis argumentis ab ipso Phaedro sumptis sibi defendere visi sunt, eos ego censeo scopum nimis remotum nimisque obscurum petendo operam perdidisse. Ut unum afferam exemplum, Schwabius poëtam malorum suorum originem liquido indicasse credit his verbis (III, praefatio 40): „in calamitatem quaedam deligens meam;" putat enim vocabula „in calamitatem meam" significare: „cum meo ipsius malo," i. e. „ita ut mihi ipse calamitatem et infortunium pararem." Sed quis credat tam absurde Phaedrum scripsisse? Aspiciamus totum versum cum iis quae praecedunt:

> ego porro illius (Aesopi) semitam feci viam
> et cogitavi plura quam reliquerat
> in calamitatem quaedam deligens meam.

Quo modo accipiendum esset illud „in calamitatem quaedam deligens meam" si verba „in calamitatem

meam" eam vim haberent quam Schwabius voluit? Nonne sic fere: „quod in delectu fabularum Aesopi quaedam non praeterii sed illa quoque in syllogen meam recepi, id mihi exitio fuit?" Sed quis unquam mortalium tam obscure tamque inepte locutus est? Ut paucis verbis rem conficiam, nonne hoc dicit Phaedrus: „unam alteramque fabulam ideo delegi et in corpusculum meum recepi quod haud inepte ad meam calamitatem referri posse videretur?" Quam vim si verbis citatis inesse mihi concesseris, quid, Lector, obstat quominus credamus iniurias quibus Phaedrus affectus sit minime e scribendi genere quo ille usus sit natas esse, sed hanc solam inter iniurias fabulasque intercedere rationem quod harum una alteraque illas depinxerit? Ut exemplo sententiam meam illustrem, quis neget *fieri posse* ut ab aliquo calumniatore de causa civili in ius raptus Phaedrus falsisque circumventus testimoniis magnam pecuniam iniusto petitori solvere sit coactus, deinde quo tristitiam suam consolaretur perniciemque suo imprecaretur inimico fabulam scripserit de ove, cane et lupo (I, 17)? Levem hanc esse suspicionem lubentissime concedo; habet tamen quo se commendet ita ut aliquanto probabilior videatur quam vetus illa coniectura de Phaedro propter nimiam in scribendo licentiam maiestatis condemnato. Sic enim Romulus narrat I, 4 (utor editione quam curavit Oesterley Berol. 1870):

Canis calumniosus dixit deberi sibi ab ove panem quem dederat mutuum. Contendebat autem

ovis nunquam se ab illo panem accepisse. Cum ante iudices venissent canis se dixit habere testes. Introductus lupus ait: „scio panem commodatum ovi”. Introductus miluus: „coram me” inquit „accepit”. Accipiter cum introiisset inquit: „quare negasti quod accepisti?” Victa ovis a testibus falsis iudicatur artius (?) reddi (?). Coacta vero ante tempus lanas suas vendidisse dicitur ut quod non accepit redderet.

Quam lepide hoc narratum est; quanta vis quantaque venustas in illa testimoniorum gradatione: „scio”; „coram me”, „quare negasti?” quam egregie denique miseria rei innocentis sed propter testium improbitatem damnati hoc depingitur additamento: „coacta vero ante tempus lanas suas vendidisse dicitur ut quod non accepit redderet”. Hercle illam fabulam si Lucianus Müller „versibus expolivisset senariis”, haberemus quae omnibus Phaedri fabulis longe praestaret. Quid vero noster?

calumniator ab ove quum peteret canis,
quem commodasse panem se contenderet,
lupus citatus testis non unum modo
deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis damnata falso testimonio
quod non debebat solvit. Post paucos dies
bidens iacentem in fovea conspexit lupum:
haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

Cur e tribus testimoniis unum fecit? Cur omnem elegantiam quae in antiqua est fabula — nam Romu-

lum antiquam aliquam fabulam Graecam nobis servasse pro certo mihi constat — corrupit et pessumdedit? Quare triste illud falsi testis fatum, exoptatum quidem sed minime exspectatum, quodque nulla ratione cum istius impietate cohaereat, addidit? An quod sic ovis casus suo fieret similior, quodque ita occasionem haberet imminentem adversarii perniciem augurandi? Quis hoc praefracte negare audeat?

Sed haec omittamus: qui enim quam infirmae sint aliorum suspiciones demonstrare studeam nolo novas suspiciones tamquam probabiles in medium proferre: satis mihi erit si lectori persuasero eas coniecturas quas de Phaedri malis olim proposuerunt viri docti nihilo certiores esse quam alias omnes quas quivis quovis tempore pro arbitrio excogitare possit.

Ridicula vero illa est necdum, ut opinor, satis explosa, quam e Suet. Cal. 11 sumsit Schwabius. Ibi enim hoc legitur:

> Quod sagacissimus senex (Tiberius) ita prorsus perspexerat, ut aliquoties praedicaret, exitio suo omniumque Gaium vivere et se natricem, serpentis id genus, P. R. Phaethontem orbi terrarum educare.

Putat autem Schwabius Phaedrum illud Tiberii dictum quum respiceret fabulam narrasse de Ranis regem petentibus, in qua ligno Tiberius significaretur, hydra Caligula; poetae autem petulantia ad Caligulam vel eius assentatores allata illum in iudicium maiestatis adductum et vix absolutum esse. Cui coniecturae, quae quam

levis sit vix opus est dicere, primum hoc obstat quod Suetonii verba corrupta videntur; neque enim *in imagine* admodum elegans est istud *Phaëthontem orbi terrarum*, quoniam *verus* Phaëthon *orbi terrarum* perniciem attulit, et duorum membrorum *suo omniumque* posterius duplex habet oppositum (*Populo Romano* et *orbi terrarum*), prius opposito caret. Quare legendum censeo, inclusis verbis *serpentis id genus*, quae iam proscripsit Graevius: et se sibi natricem, Populo Romano Phaëthontem educare [1]). Quae si emendatio probetur, multo melius ad Tiberii dictum fabula de homine anguem fovente (IV, 20) referri possit quam fabula de Ranis regem petentibus. Sed reiecta mea emendatione quis contendere vel etiam suspicari audeat a Caligulae amicis accusatum esse Phaedrum, quum ipse disertis verbis Seianum tamquam acerrimum nominet adversarium?

> Quodsi accusator alius Seiano foret,
> si testis alius, iudex alius denique,
> dignum faterer esse me tantis malis.

Sed omissis et illa Schwabii et multis aliis coniecturis ad propositum, id est ad totum genus coniecturarum de Phaedro propter fabulas accusato, redeamus;

1) Tam in vulgata lectione quam in lectione a me proposita Chiasmus, qua figura Suetonius ornare solet orationem suam (cf. quod proxime praecedit: nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse), negligitur.

nonne ipse Phaedrus eas redarguit et falsas esse declarat? Inspiciamus obscurum illud carmen, quo in recentioribus editionibus Liber III clauditur [1]). In eo et alia leguntur et haec:

excedit animus quem proposuit terminum;
sed difficulter continetur spiritus,
integritatis qui sincerae conscius
a noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requiris; apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam
„Palam muttire plebeio piaculumst",
Dum sanitas constabit pulchre meminero.

Qui sensus sit versuum

excedit animus quem proposuit terminum;
sed difficulter continetur spiritus

iuxta cum ignarissimis me ignorare fateor; sed quae sequuntur tam sunt perspicua ut inutile sit iis explicandis immorari; unum hoc dico: ridicule sibimet ipse oblocutus esset poëta si hoc dixisset: „ego propter licentiam, qua in scribendo usus sum improborum obnoxius sum calumniis. Rogas me qui illi sint; non tam ero ineptus imprudensque ut eos nominem: quam enim sententiam olim puer in ludo didici

---

1) Iam nunc admoneo lectorem me prorsus assentiri editoribus, qui Broterium secuti hoc carmen („supersunt mihi quae scribam" e. q. s.) in fine libri III, illud quod a versu: „cum destinassem terminum operi statuere" incipit in initio libri posuerunt.

palam muttire plebeio piaculumst

eius et semper memor fui et posthac memor ero." Id tamen diceret noster, si e fabulis eius natae essent calumniae. Denique hoc quoque addo: num si e fabulis originem traxissent calumniae in Phaedrum, quae haud dubie per aliquod tempus in ore hominum versatae sunt, scribere ea potuisset Seneca quae leguntur in consolatione ad Polybium (Claudii libertum, ergo Claudio imperante scripta) 37:

> Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque et Aesopeos logos, *intentatum Romanis ingeniis opus*, solita tibi venustate connectas.

Nam non, opinor, tam absurdi tamque nullius pretii unquam visi sunt Phaedri libelli ut, etiam si ansam dedisent rumorum popularium vulgoque notarum iniuriarum, eos aut ignorare aut dissimulare potuisset Seneca, vir et in literis et, quamquam eo tempore exsul erat, etiam in urbe versatissimus.

Ergone nil nisi fabulas suas nobis reliquit Phaedrus, de semet ipso prorsus nihil nos docuit? Minime vero: hoc enim pro certo constat Augusti eum libertum fuisse; hoc ipse verbis disertis declarat, hunc quasi titulum prae se fert. Inscripti enim sic eius libri sunt:

Liber Fabularum
Fedri Augusti liberti
Liber Fabularum.

Ab his vocabulis orditur nobilis ille codex Pithoea-

nus, quorum duo prima „Liber Fabularum" manu recentiore addita tradit Bergerus de Xivrey, cui ultimo mortalium contigit ut κειμήλιον illud pervolveret; sed vocabula „Augusti liberti" quin ab ipso codicis librario sint scripta nulla est dubitatio; illa in codice quoque Remensi, quem incendio deletum novimus, fuisse perquam probabilis est suspitio. Profecto est quod gaudeamus tamen aliquid certi de semet ipso nobis narrasse poëtam, cuius versus ab ineunte inde pueritia legimus et memoria tenemus. Sed, eheu, illud quoque solatium ne nobis eripiatur exstitit periculum. Novissimus enim Phaedri editor Lucianus Müller, quem merito magni facimus omnes qui poetis Latinis operam damus, illa verba in suspicionem vocavit. Haec enim annotat in commentario: „vix credo ipsum Phaedrum in inscriptione operis memorasse conditionem libertinam, cuius rei mentionem obesse magis quam prodesse scriptori Romano Horatii exemplo doceri poterat, itaque existimo illa *A. l.* adiecta a Grammatico aliquo vel librario, qui aut ex fabulis quae perierunt aut aliunde eius rei traxisset notitiam." Quod argumentum quum mihi admodum debile videatur, quam accuratissime refellere conabor; sic enim a lectoribus aliquam me initurum gratiam spero, si operam dedero ut unicum illud, quod nobis de Phaedri vita ab idoneo auctore traditum sit, ab interitu servetur.

Quanta licentia stante etiam Republica Romani in servis suis manumittendis usi sint nota res est; solebant enim domini quos servos habuissent libidinum ministros libertate donare; solebant etiam divites et

opulenti homines vanitati indulgentes testamento ingentem servorum copiam manumittere ut longa series pileatorum funus suum prosequeretur. Et quo quisque libertinorum nequior erat eo plus sibi arrogabat, si aliquid accederet nummorum. Ea pestis per aliquod tempus compressa quam grassata sit imperante Claudio facile est ad intelligendum: is enim ipse pro nihilo erat, imperabant liberti Narcissus Pallasque, neque illepide Seneca in satyra ceteroquin satis insulsa, ubi narravit in coelum advenisse Claudium haec addit: „putares omnes illius esse libertos, adeo illum nemo curabat." Istiusmodi imperatorem, qui ipse adeo esset in libertorum suorum potestate, non est credibile servorum manumittendorum licentiam severis legibus coërcuisse. Eademne iam fuerit Caligulae socordia et negligentia nescimus; habebat tamen et ipse suum sibi Callistum, neque ergo eum acrem fuisse legis Aeliae Sentiae defensorem probabile est. Tiberius tamen primis certe imperii annis libertinorum fuit adversarius. Neque spernenda laus est qua eum ornat Tacitus (Ann. IV, 7): „Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus." (p. Chr. n. 23) [1]). Sed postea in hac quoque re eum remisisse de pristina severitate et ad nequitiam prolapsum esse apparet. Legimus enim unum et alterum ex eius libertis aut praedivitem fuisse aut honorem maiorem quam pro statu gessisse [2]). Ha-

1) cf. ipsius Phaedri II, 5, 25.

2) „Interim Vetrasio Pollione Aegypti praefecto mortuo Hispano

bemus ergo tres Caesares civitatis Romanae non satis acres defensores, quorum primus rem bene inchoatam extremis vitae annis deseruit, secundus tertiusque cum totam rempublicam tum hanc partem turpissime neglexerunt. Quanto his praestitit ille qui primus Augustus nominatus est. De quo Suetonius (Aug. 40): „servos non contentus multis difficultatibus a libertate et multo pluribus a libertate iusta removisse, cum et de numero et de conditione ac differentia eorum qui manumitterentur curiose cavisset, hoc quoque adiecit, ne vinctus unquam tortusve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur." Et alio loco (67) quam artis vinculis suos ipse libertos constrinxerit Augustus ne vetiti quidquam sibi licere arbitrarentur Suetonius docet: „Patronus dominusque non minus severus quam facilis et

---

(Severo ci. Bk) cuidam liberto Caesaris eam provinciam commisit." (Anno 32, Dio C. LVIII, 19), „Agrippa, Romae degens, ubi familiaritatem iunxit cum Tiberii imperatoris filio Druso, Antoniaque magni Drusi uxore, et multis aliis rebus patrimonium suum dilapidavit et largiendo Tiberii libertis, quorum se opera usurum sperabat." Ios. A. I. XVIII, 6, 1.

„Idem Agrippa a Thallo quodam Samaritano natione Caesaris liberto centies mutuo sumpsit, eoque modo Antoniae debitum reddidit; quod autem reliquum erat ad eas res impendebat quibus Caio acceptus fieri posset." Ios. XVIII, 6, 4.

Libertorum autem in maximo apud Tiberium honore erat Euodus quidam, quem ingravescente morbo, quum de salute sua desperabat, filios ad se adducere iussit. v. id. XVIII, 6, 8.

Apud Plinium H. N. XIII c. 15 insigne legitur exemplum liberti Tiberii in maximo viventis luxu.

clemens, multos libertorum in honore et usu maximo habuit, ut Licinum et Celadum aliosque. Cosmum servum, gravissime de se opinantem non ultra quam compedibus coercuit. Diomeden dispensatorem, a quo simul ambulante incurrenti repente fero apro per metum obiectus est, maluit timiditatis arguere quam noxae, remque non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in iocum vertit. Idem Polum ex acceptissimis libertis mori coegit compertum adulterare matronas: Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura [ei] fregit; paedagogum ministrosque C. filii, per occasionem valetudinis mortisque eius superbe avareque in provincia grassatos, oneratos gravi pondere cervicibus praecipitavit in flumen."

Civitatem peregrinis dare et servos manumittere res sunt eiusdem generis: qui ergo in hac severus fuit eum neque in illa negligentem fuisse consentaneum est; qui in illa dissolutus fuit quid eum in hac Catonem fuisse credamus? Iam quanta negligentia posteriores principes civitatem Romanam ad indignissimos pervenire passi sint multi quidem veterum loci docent, sed nullus melius quam quem hic afferam ut ei simul pristinum restituam nitorem. Narrat Tacitus (Ann. III, 40) de quibusdam Gallis nobili genere prognatis, quorum maiores optime de Republica Romana meriti fuerint, additque haec:

> eoque Romana civitas olim data quum id rarum nec nisi virtuti pretium esset.

Vocabulum *pretium* hic pro *praemium* positum esse si quis contendat equidem non negem. Multa enim

huius rei exempla proferri possunt quorum vel luculentissimum est lepidissimum Martialis epigramma:

Et latet et lucet Phaethontide condita gutta
ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum
credibile est ipsam sic voluisse mori.

Neque minus insigne est Virgilianum (V, 292):

invitat pretiis animos et praemia ponit.

Sed frigere mihi videtur istud *virtuti pretium*. Fac enim hic quoque *pretium* vim habere *praemii*, an unquam *praemium* fuit quod non esset *virtutis*? An forte quum de vetere severitate actum esset, civitas malorum morum et nequitiae praemium fuit? Nulla, ut opinor, tum morum habebatur ratio; qui pecuniam dare posset, sive probus sive malus esset, civitatem accipiebat. Et hanc labem significare Tacitum credo; scripsit enim me iudice:

eoque Romana civitas olim data quum id rarum nec nisi *virtus* pretium esset.

Ante oculos enim eum habuisse puto illud tempus quum in foro venalis erat civitas; quum ipsi Claudii liberti palam mensa proposita civitatem venumdabant. At antiquis temporibus nullum praeter virtutem erat pretium quo quis optimum illud ius emere posset Antiquos illos mores, antiqua tempora revocare studebat Augustus: de quo haec Suetonius (l. l.): „magni praeterea existimans sincerum atque ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare

populum, et civitatem Romanam parcissime dedit et manumittendi modum terminavit. Tiberio pro cliente Graeco petenti rescripsit, non aliter se daturum quam si praesens sibi persuasisset, quam iustas petendi causas haberet; et Liviae pro quodam tributario Gallo roganti civitatem negavit, immunitatem obtulit affirmans facilius se passurum fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romae vulgari honorem."

Qui ergo ab eiusmodi domino summum accepisset libertatis beneficium nonne ille habebat quo gloriaretur? Praesertim si, ut Licinus et Celadus, de quibus supra vidimus, patrono suo per vitam acceptus et probatus fuerit? Et fuisse iam Phaedri aetate multos libertos, qui eo beneficio indigni essent, quam credibile sit ex iis quae supra diximus apparet. Libertinum autem se esse Phaedrus dissimulare non poterat: ipsum nomen peregrinum prodebat. Quod ergo ei nomen honorificentius accedere potuit quam illud A u g u s t i l i b e r t i?

CAPUT II.

Nescio quid meditans nugarum totus in illis.

Fortasse nunc rogabit quispiam: „ergone prorsus ignotus et est et manebit poeta ille quocum iam pueri aliquam familiaritatem contraxisse nobis visi sumus? Nam ignotum eum voco cuius neque aetatem certis annorum finibus circumscribere possumus, neque nationem originemque indagare, neque inimicos amicosque nominare, quamquam ab illis eiusmodi est affectus iniuriis, ignotis et ipsis, ut aut succubuisse aut ab his strenue defensum esse sit necesse." Fateor me de omnibus hisce rebus vix quidquam lectorem docere posse; sed quid si pro iis doceam poëtae ars a quibus initiis profecta, qua ratione sensim sit aucta, mutata, corrupta? Nonne hoc multo maioris videtur momenti, nonne haec scientia et utilior et optatior? „At enim" dixeris „non tanti iste Phaedrus videtur ut quomodo ingenium suum excoluerit scire magnopere curemus." Neque, hercle, ipse magni eum facio, sed hoc mihi iure meo conten-

2

dere videor, quo quisque sit poëta scriptorve minore atque inferiore ingenio, eo facilius esse ipsum, id est non casus eius vitaeque vicissitudines sed studia cogitationesque novisse. Ut rem exemplo illustrem: nihil est difficilius quam Platonis philosophia unde nata qua ratione creverit ad summamque pervenerit praestantiam statuere, et inepti mihi videntur viri docti qui de praeclaro philosopho ita scribant ut de aliquo nostrae aetatis agi homine putes, qui postquam prima philosophiae elementa sub plagoso aliquo Orbilio secundum leges quasdam de institutione publica a pusilli animi viris utcumque conflatas didicerit, deinde certis annorum intervallis de nonnullis quaestionibus, ad quas respondere cum multo sudore insueverit, sit interrogatus, postremo tamquam perfecte iam sapiens e schola cum laude praemioque dimissus. Sed Xenophontem penitus novisse non est res magni laboris. Paulo enim accuratius eius scripta perlegentibus mox apparet paucas esse quaestiones, de quibus ille secum sit meditatus; quae ad eas responsa unice vera esse sibi persuaserit, quibusque illa argumentis defendere vitae eum usus docuerit, ex ipsius verbis quivis sermonis Graeci non ignarus statuere potest. Eadem et Phaedri res est: quid sibi, quum fabulas scribere inciperet, proposuerit, qua ratione consilium suum immutaverit, quid de sua arte et ipse censeat et alios cupiat censere, tam aperte profitetur ut nullus variis de eius studiis relinquatur locus sententiis.

Poetae ergo Phaedri vitam ipso duce scribere cona-

bor, quam rem neque vires meas excedere opinor et aliquam habere utilitatem mihi facile persuadeo. Qui enim ipsius poetae verbis continuum quoddam in scribendo ab eo esse percursum iter demonstraverit et a quo principio eius ars nata sensim et tamquam certa lege sit immutata palam fecerit, is demum mihi vere refutasse videbitur illos viros doctos qui aut spurias esse contenderunt aut Graece olim scriptas fuisse Phaedri fabulas, quas quum diversis temporibus in scholis diversi homines ingenii exercendi causa in Latinum sermonem vertissent, tandem aliquando illarum versionum partem aliquam tamquam unius poetae Latini opus in lucem editam esse. Illa enim sententia, quam primus proposuit Christius [1]), quum magnus ille Lessingius [2]) probarit, haec vero recentiore tempore a du Meril [3]) haud spernendo ingenii acumine sit defensa, etiam nunc periculum esse credo ne quis eorum libris lectis se in errorem induci patiatur. Hanc quoque enarrationis meae futuram utilitatem credo quod mihi facultatem praebitura sit nonnullos Phaedri versus accuratius quam antehac factum sit explicandi.

---

1) Io. Frid. Christii de Phaedro eiusque fabulis prolusio Lips. 1746 ex officina Langenhemiana. Christium refutare conatur Funccius apologia pro Phaedro eiusque fabulis (Lips. a. 1747); Funccio respondet Christius libello c. t. de moribus e. q. s. (Lips. a. 1747).

2) Zur Geschichte und Literatur aus den Schätzen der herz. Bibliothek zu Wolfenbüttel, 5er Beytrag p. 54: „Christ welcher in der Hauptsache von Phädro unstreitig Recht hat, in der er bisher weder widerlegt worden, noch schwerlich jemals widerlegt werden dürfte."

3) Edelestand du Méril Poésies inédites du Moyen âge. Paris 1854.

Primi ergo libri prooemio ipse profitetur poëta se materiem ab Aesopo repertam „versibus expolivisse senariis". Qua locutione satis inusitata neque admodum perspicua significare videtur se fabulas Aesopi, quarum pleraeque antea in ore tantum hominum essent versatae vel pedestri sermone scriptae, non solum Latine vertisse sed etiam eleganti et venusto induisse versuum senariorum vestitu. Profecto nihil est in ea praefatione arrogantiae, verecundiam agnoscis poëtae, qui tam paucis verbis suum laborem describat, neque quidquam de se addat. Nam qui deinde sequuntur versus

calumniari si quis autem voluerit
quod arbores loquantur non tantum ferae,
fictis iocari nos meminerit fabulis

ineptam haud dubie continent defensionem, sed ea non semet ipsum tueri videtur poëta, verum auctorem suum Aesopum. Legimus enim apud Romulum lepidissimam narrationem de arboribus securi manubrium praebentibus, quam elegantissimis, ut solet, versibus exornavit Lucianus Müller, qui licet ita fabulam composuerit aliquanto venustiorem quam a Phaedro exspectari possit, tamen haud dubie illa ratione nobis facultatem praebuit aliquo modo explendi libri primi, qui nunc temporum iniuria lacunosus circumfertur: in eo enim nulla est loquentium arborum fabula; Romulus autem plerasque fabulas ex Phaedro descripsit [1]). Item

1) De ea re dabitur posthac docendi copia.

ex Phaedro in sermonem pedestrem translatae videntur quas Oesterley in appendice Romuli sui (insignitas numeris 18 et 72) posuit, de abiete et harundine; de arboribus regem creantibus. Illas autem cur Aesopum auctorem habere, i. e. in Graecia natas esse mihi constet breviter indicabo. Leguntur apud Suidam versus quidam e fabulis excerpti, quos hic exscribam:

αἰπεινὴν ἐλάτην ἔρις ὤρορεν αἴσυλα φάσθαι.
αἰπειναῖς ἐλάταις ἔρισεν βάτος. ἡ μὲν ἔειπεν
καὶ ναῦς καὶ νηοὺς τεμνομένη τελέειν.
οὐδέ οἱ οὐδ' αἴθων ἅδε πάρδαλις, οὕνεκα θυμοῦ
ἐμπλείη.
πικρὴ μέν τε λύκοισιν ἀτὰρ χιμάροισιν ἀκηδής.
τοὔνεκα τὴν ἰδίην οὔτις ὅπωπε δύην.
ὅθι στυφελῶν ἀπὸ πετρῶν
ὀστρακόεντά τε νῶτα καὶ ἀγκύλα γυῖα κεάσθη.

Tam elegantes autem illi versiculi sunt, tam puro sermone scripti ut quin florentibus literis Graecis nati sint nullus dubitem. Atque versus *τοὔνεκα τὴν ἰδίην οὔτις ὅπωπε δύην* et *ὅθι στυφελῶν ἀπὸ πετρῶν ὀστρακόεντά τε νῶτα καὶ ἀγκύλα γυῖα κεάσθη* e fabulis sunt, quas etiamnunc apud Phaedrum legimus (de peris hominibus a Jove impositis, et de consilio aquilae a vulpe dato); versus *αἰπειναῖς ἐλάταις κτέ.* olim in initio positi fuerunt fabulae de abiete et harundine, quam e Phaedro transtulisse Romulum perquam est probabile.

Libri secundi consilium naturamque ipse poëta ex-

plicuit prooemio c. t. auctor, quod quum paulo sit obscurius multasque res habeat, quae lectorem in errorem inducere possint, haud inutile videtur de eo paulo accuratius disserere. Incipit ergo poëta a dicto haud dissimili nostratium proverbio

monent praecepta secum exempla homines trahunt.

Nam quin quid voluerit Phaedrus rectissime perspexerit Bentleius, qui legendum esse censet

Exemplis continetur *humanum* genus

pro *Aesopi* genus, minime dubito neque ipsa coniectura mihi tam audax quam Luciano Müller videtur. Facile enim fieri potuit ut aliquis lector ad versum non satis intellectum

nec per fabellas aliud quidquam quaeritur

abscriberet nomen Aesopi, idque postea alieno loco receptum sede sua adiectivum *humanum* depelleret. Quod deinde de Bentleii lectione iudicat Müllerus, praestantissimus sermonis Latini censor (de Phaedri et Aviani fabulis p. 26): „ita dici posse salva latinitate cum sit manifestum; nec minus ad sensum egregie esse aptum e. q. s." facit ut ad eam recipiendam etiam simus propensiores miremurque eundem tamen tradita verba defendere quam Bentleii emendationem probare maluisse. Quid quod argumentum, quo iudicium suum commendare se putat mihi admodum infirmum videtur. Haec enim eius verba sunt: „tamen denuo considerato

hoc loco Phaedrique ipsius et aliorum scriptorum libris pervestigatis, intellexi nihil omnino in tradita lectione esse culpandum. Pro qua primum stat exemplum ex ipsis Phaedri fabulis petitum, quod miror admodum fugisse Bentleium, ceteros fugisse minus miror [1]. Nam IV prol. 19—14 leguntur esse:

quare, Particulo, quoniam caperis fabulis
(Quas Aesopias non Aesopi, nomino,
quia paucas ille ostendit, ego plures fero,
usus vetusto genere sed rebus novis),
quartum libellum, cum vacarit, perleges.

Apparet simillime hoc loco dici *genus* pro *genere literarum, quod Aesopus invenit*; nec enim facile quisquam ex praecedentibus supplebit *fabularum*. Atque adeo idem auctor paulo ante (v. 8) *color* dixit pro *colore scribendi*. Praeterea poëta aequalis Phaedro Ovidius Ibidis v.v. 57, 58 dixit ita:

Utque ille, historiis involvam carmina caecis,
non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.

Etiam hic certum est *genus* poni pro *genere studii literarii*."

Vocabulum *genus* locis a Müllero allatis positum esse pro *literarum genere* minime nego, sed hoc addo *abstractam* eius vim esse, ita ut dici quidem possit: „Aesopi genus iucundum est, utile, ineptum", sed

---

1) *Ceteros fugisse minus miror.* Quorsum haec?

„Aesopi genus" exemplis continetur i. e. ex exemplis constat", non minus est absurdum quam: „scribendi ratio, qua Aesopus usus est, ex exemplis constat." Ex exemplis constant Aesopi *fabulae*, non genus literarum, ad quod illae referendae sunt, neque ratio qua illas composuit.

„Secum" ergo poëta ait „exempla homines trahunt. Bona autem exempla proponere fabularum est consilium:

nec per fabellas aliud quidquam quaeritur
quam corrigatur error ut mortalium
acuatque sese diligens industria."

Sequitur versus, qui quo modo emendandus sit in dubio est; quid poëta voluerit non est dubium. Legitur enim

quicunque fuerit ergo narrandi iocus.

Hic quoque qui sensus requireretur recte vidit Bentleius. Coniecit enim

quicunque fuerit ergo narrandus iocus.

Possis etiam legere „narratus iocus", vel (quam ego coniecturam prudentiorum permitto censurae):

quicunque fuerit ergo narrator ioci [1]).

---

1) Aliquantum probabilitatis habere emendationem meam videbis, Lector, si inspexeris codicis P. effigiem, quam faciendam suaeque editioni addendam curavit de Xivrey. Ibi enim (praesertim e voc. *auctor*) cognosces quam facile sit pro syllaba *tor* legere syllabam

Nam neque in vulgata lectione *narrandi iocus* neque in Graevii emendatione *narrantis iocus* acquiesci posse mihi constat. Non enim credo *iocus* dici posse pro *iocandi ars*, quod nostro loco fere idem esset atque *ingenium* et *versuum faciendorum peritia*. An forte hoc dicere nostrum putas: „quacunque ergo arte fabula est composita, sive eleganter et lepide, sive invenuste et inepte, dum capiat aurem et servet propositum suum, re commendatur, non auctoris nomine"? Quae neque bene cohaerent et ridicula videntur. Qui enim fieri potest ut fabula male facta tamen „capiat aurem"? Denique quum toties noster vocabulum *iocus* pro *fabula* posuerit, illudque optime respondeat Graeco *Αἰσώπου γελοῖον*, quin hic quoque eodem sensu adhibeatur minime dubito. Sive ergo legimus

quicunque fuerit ergo narrandus iocus

sive

quicunque fuerit ergo narratus iocus

sive

quicunque fuerit ergo narrator ioci

scriptoris sententia admodum est perspicua. Sed ab initio repetamus argumentorum seriem, qua poëta hucusque usus est. Ita melius videbimus quid de totius libri secundi natura ipse doceat.

---

ioc. Suspicari ergo possis primum pro *narrator ioci* lectum esse *narra ioc ioci*, idque a librario ita esse correctum ut importunum istud *ioc* tamquam dittographiam abiiceret et ex *narra ioci* efficeret id quod nunc habemus.

„Exempla" ait „homines continent et ne a virtute deflectant prohibent. Hoc fabularum propositum, hoc consilium. Sed non opus est fabulam Aesopum auctorem habere,

dum capiat aurem et servet propositum suum
re commendatur non auctoris nomine."

Lectorem ergo certiorem facit se non tantummodo id facturum quod antea fecerit, ut fabulas ab Aesopo repertas in Latinum sermonem transferat, sed etiam novas quasdam additurum. Sequitur

equidem omni cura morem servabo senis

i. e. „Aesopum imitari conabor et fabulis ab eo inventis et a me versis adiiciam quasdam eiusdem generis." Haud tamen contentus eo erit

sed si libuerit aliquid interponere
dictorum sensus ut delectet varietas,
bonas in partes, lector, accipias velim,
ita si rependet illam brevitas gratiam.

Haud opus esse opinor cum Bentleio pro *dictorum* legere *diversum*, illius enim adiectivi vis iam latet in verbo *interponere* et in substantivo *varietas*; neque tamen *dictorum* probo, quod admodum languidum videtur. Suspicor *doctorum*. Doctis enim lectoribus placere noster studet. Cf. ultimum huius libri Carmen vs. 12

si nostrum studium ad aures cultas pervenit.

Illorum ergo sensus delectare vult poëta. Tota igitur libri II praefatio huc redit: „fabulae ab Aesopo inventae sunt ut homines exemplis a vitiis deterrerentur; utile, hercle, consilium. Sed non opus est fabulas Aesopum auctorem habere, ergo ipse novas quasdam ex eodem genere adiiciam; et ne in genere quidem anxie subsistam, verum ut lectorem varietate delectem interponam pro fabulis alias narrationes."

Quo modo autem promisso steterit Phaedrus diiudicari iam non potest, multa enim huius libri carmina interiisse videntur; sed ab ipso „interpositam" esse narrationem de Caesare ad atriensem (5) certum est; quae fabula ad illud genus referenda est quod nunc omnes populi „anecdota" appellant. Illo autem vocabulo et ipse posthac brevitatis causa utar.

Vides iam aliquid de pristina sua remisisse verecundia nostrum; iam se maiorem putat quam qui anxie aliena premat vestigia; iam aemulari eum vult, quem antea imitari satis habebat; iam inventorem se dici cupit. Et satis sibi rem ex voto cessisse persuasissimum sibi habet. Absoluto enim iam hoc libro non praefationem solum scripsit sed et epilogum, cui et ipsi titulus „auctor"; ex eo autem laboris eum minime poenitere apparet; alterum se Aesopum putat; literas Latinas novo se genere auxisse gloriatur; egregie se de Latio meritum ita significat:

> Quod si labori faverit Latium meo,
> plures habebit quos opponat Graeciae.

Si livor obtrectare curam voluerit,
non tamen eripiet laudis conscientiam.

Lectorum iudicium non metuit; suae sibi virtutis conscius est: „quodsi" ait „aequalium livor me fructu laboris mei spoliabit

fatale vitium corde durato feram,
donec fortunam criminis pudeat sui.

Tertio impleto volumine praefationem scribit plenam propiae laudis; maxime sibi conscium esse poëtam egregii sentis et nunquam perituri operis a se perfecti. „Me" ait „si legere vis a negotiis te vacare oportet

ut liber animus sentiat vim carminis;

me si spreveris, Eutyche, et labore tuo mentisque intentione indignum iudicaris, quid te fiet? Quo modo unquam ingenium tuum excolere poteris? Si ergo nimium es occupatus, variisque districtus negotiis,

mutandum tibi propositumst et vitae genus,

i. e. differenda sunt negotia, omittenda paulisper rei familiaris cura, denique quacunque tandem ratione otium quaerendum; satius est quotidianum negotium negligere quam me scriptaque mea. Postremo

me si leges laetabor, sin autem minus

me meaque opera timore vacuus posteritatis permitto iudicio." Quod autem dicit: „ego qui prope nativum

Musarum solum natus sum, tamen aegre et fastidiose in Musaram coetum recipior", verecundiae specie arrogantiam ornat. Post hanc ad Eutychum adhortationem sequitur diatribe de fabulae origine. „Aesopus" ait

quia quae volebat non audebat dicere
affectus proprios in fabellas transtulit."

Rectissime enim Harius (Epistola Critica) observat vocabulis *servitus obnoxia* Aesopi significari servitutem [1]. „Similis me metus eodem uti genere cogit, verum Aesopi

semitam feci viam
et cogitavi plura quam reliquerat."

His autem versibus non solus tertius liber respici videtur sed simul et secundus. Parum enim probabile est tanto ampliorem olim fuisse quam nunc est librum tertium ut in eo uno plures inessent fabulae ab ipso Phaedro inventae quam quas iam ab Aesopo sumpsisset.

Causa autem cur Aesopi exemplum imitari se dicat poëta est quod et ipse tecte de suis calamitatibus loqui velit

In calamitatem quaedam deligens meam.

Videntur his verbis praesertim huius libri fabulae quaedam indicari; recte enim Bentleius ad carmen ad Particulonem annotat: „prologi licet initio veniant,

---

1) V. quae de Aesopo narrant Schol. Arist. Vesp. 1446 et Suidas v. Αἴσωπος et cf. Iul. Orat. VII, p. 388 (207).

tamen ultimi scribebantur"; neque tamen prorsus improbabile est ad unam alteramque e prioribus libris fabulam ea verba esse referenda; facile enim, ut hoc utar exemplo, adducar ad credendum fabula 6 Libri II (de aquila et cornice) suum casum respexisse poetam et lectorem docere voluisse se perditum esse non tam a potente quodam homine quam ab eius consiliatore. Calumniis enim obnoxius fuit poëta; est autem quod mireris eum de inimico Seiano, homine praepotente tanto cum contemptu tamque libere loqui. Quae audacia unde nata sit nos, ut opinor, semper latebit.

„Non tamen" ait, singulos notabo; volo enim

ipsam vitam et mores hominum ostendere.

Quidni ego illum universi humani generis admonendi et docendi laborem aggrediar? An forte ego barbaris hominibus, Aesopo et Anacharsidi par non sum? Immo: solemnis (B. perennis; ad sensum recte) mihi debetur gloria."

Vides quam accreverit iam poëtae fiducia. Hercle non probabile videtur eum, quum tam magna de se profiteretur fabulam I (de anu ad amphoram) addendo versu

hoc quo pertineat dicet qui me noverit

ad semet ipsum transtulisse: tum enim sibi videbatur αὐτὸς ἑαυτοῦ δεινότατος εἶναι, ut incredibile sit eundem eodem tempore declarasse olim se nobilem praestantemque fuisse, nunc reliquias sui tantummodo quasdam superesse.

Ex iniuriis autem ei illatis nata est illa acerbitas quae inde a libro III magis quam antea prodit. Hanc acerbitatem mihi agnoscere videor in epimythio fabulae 13 huius libri addito. Quid enim in universum de promythiis epimythiisque censeam mox declarabo; hoc autem nescio an certo quodam consilio Phaedrus addiderit. Constat ex versibus

hanc praeterissem fabulam silentio
si pactam fuci non recusassent fidem.

Quibus cum acerbo risu et indignabundum hoc dicere suspicor poëtam: „haec est vita hominum, in eiusmodi civitate vivimus ut pauci quidam ignavi et inertes strenuorum peritorumque fruantur labore, dum ipsi nihil agunt, quumque ad aequum certamen invitantur illud recusant."

Sed haud dubie ea acerbitas eaque indignatio in „improba" (ut Martialis utar vocabulo) et inficeta fabula XV (de cane ad agnum) cernitur. Solent enim — id quod nostro tempore multis exemplis demonstrari potest — homines quos sortis suae poeniteat, qui se pro meritis debitum praemium non accipere et insigni iniuria affici credant, in derisionem vocare et palam ludibrio habere res quae semper hominibus sacrosanctae visae sunt. Quis enim neget ea fabula pietatem amoremque erga parentes derideri?

Clauditur autem liber epilogo (c. t. poëta) qui mihi compositus videtur *ante* prologum (c. t. Phaedrus ad Eutychum). Nam in epilogo poëta sermone utitur hominis,

quem undique circumstant pericula; patroni ergo implorat auxilium. „Exhibe vocis fidem" exclamat; „miseria vires meas fregit; graviter me tutare iudicio tuo. Noxiorum premor calumniis, quos tamen memor antiqui praecepti „palam muttire plebeio piaculumst" nominare non audeo." Probabile ergo est poëtam incolumem ex illis abiisse periculis, et ideo quum librum suum publici iuris faceret novam quidem dedicationem (Phaedrus ad Eutychum) addidisse, sed tamen veterem (poëta) abiicere noluisse, quippe quae ei videretur haud spernendae artis opus. Atque ea causa est cur mimime assentiar Hario affirmanti epilogum (poëta) ad Particulonem scriptum esse. Absurdum enim videtur poëtam primum consilium cepisse librum suum et semet ipsum Particuloni tamquam patrono alicui commendandi, deinde illo abiecto consilio carmen quidem dedicatorium semel scriptum retinuisse sed aliud addidisse quo totus liber Eutycho sacer fieret. Fabularum autem huius libri quatuor sunt genera:

I. Fabulae „Aesopi stilo" de animalibus: 2, 6, 7 12, 13, 15, 16, 18.
II. Fabulae ab Aesopi stilo non longe recedentes 1, 4, 8, 11, 17.
III. Narrationes de Aesopo et Socrate 3, 5, 9, 14, 19
IV. una narratio ex poëtae aetate 10.

Poëtae fiducia et sui admiratio quae prius lenem risum movebat quartum iam librum legentibus absurda molestaque videri incipit; interdum insanire eum dicas.

Quemadmodum autem in epilogo praecedentis libri (Poëta) dixerat se plura scribere posse sed consulto finem iam facere ut, si quis etiam in eodem genere vires suas experiri vellet, aliquid operis restaret

> quamvis materiae tanta abundet copia
> labori faber ut desit, non fabro labor

ita in carmine ad Particulonem scripto, quod recte recentiores editores Broterio auctore in introitu quarti libri posuerunt, declarat se ante quidem consilium cepisse aliquam materiem relinquendi, sed illud iam damnavisse: „quaerant et alii" ait „ita ut ego quaesivi." Non iam videri vult sedulus diligensque Aesopi imitator; fabulas suas non *Aesopi* sed *Aesopias* nominat. Ergo mihi Müllerus in titulo, quem Phaedro suo praeposuit, non minus errasse videtur retinendo adiectivo *Aesopiarum* quam delendo *Augusti liberti*. Haec enim v. cl. annotat:

> *fabularum Aesopiarum*: illud *Aesopiarum* in una additum charta Danielis: ac tamen depellere loco nolui, quoniam ipse Phaedrus in prologo libri IV fabulas suas nominat Aesopias.

At, ut opinor, non ab initio fabulas suas *Aesopias* nominavit noster; novum hoc est arrogantiae exemplum, quod inde a quarto libro prodit Phaedrus; non ergo temere esse censeo quod utriusque codicis scriptor illud omisit adiectivum.

Multa autem in nostro libro leguntur „anecdota", quod genus si quis a Phaedro inventum dicat, aliquam,

ut opinor, partem veritatis dicat. Sed et alius generis exempla quaedam hic liber habet, quod in praecedentibus Phaedri libris frustra quaeras, de quo paulo fusius est dicendum.

Rectissime Lessingius de arte poetica scriptores vituperavit, qui de universo fabularum genere scribentes imprudenter et temere vocabulo „allegoriae" utendo lectores in errorem inducant. Sed sunt tamen inter fabulas quaedam ceteris admodum dissimiles, quas cur illo vocabulo appellare dubitemus non video. Si quis enim partem quandam naturae indolisque humanae, si vitia quaedam communia omnibus erroresque vel sortis quandam humanae iniquitatem ceteraque eiusmodi ita explicat ut illa ex aliquo deorum facto nata fingat, illud ego inventum allegoriae nomine, quum praesertim eo in illa re omnes uti soleant, significandum censeo. Permulta apud optimos Graecos scriptores leguntur eiusmodi narrationum exempla, in deliciis illud *μύθων* genus habuit Plato; sed Aesopo proprium fuisse ad eumque tamquam inventorem esse referendum communis videtur Graecorum fuisse opinio. Inspice nobilissimum Phaedonis Platonici locum:

> *ὡς ἄτοπον ἔοικέ τι εἶναι τοῦτο, ὦ ἄνδρες, ὃ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἡδύ· ὡς θαυμασίως πέφυκε πρὸς τὸ δοκοῦν ἐναντίον εἶναι, τὸ λυπηρόν τῷ ἅμα μὲν αὐτὼ μὴ ἐθέλειν παραγίγνεσθαι τῷ ἀνθρώπῳ, ἐὰν δέ τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀναγκάζεσθαι λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς συνημμένω δύ' ὄντε. καί μοι δοκεῖ εἰ ἐνενόησεν ὁ Αἴσωπος*

μῦθον ἂν συνθεῖναι ὡς ὁ θεὸς βουλόμενος[1]) *αὐτὰ διαλλάξαι πολεμοῦντα ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο, ξυνῆψεν εἰς ταὐτὸν αὐτοῖς τὰς κορυφάς, καὶ διὰ ταῦτα ᾧ ἂν τὸ ἕτερον παραγένηται ἐπακολουθεῖ ὕστερον καὶ τὸ ἕτερον.*

Sed licet glorietur poëta dissimulare tamen non potest artem suam parum adhuc lectoribus placuisse, seque illo successu caruisse quem expectaverit. Magnum haec ei res movet dolorem, nam quamvis semet consolari conetur huiuscemodi versibus

Hunc obtrectare si volet malignitas,
imitari dum non possit obtrectet licet

et

mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
vestras in chartas verba transfertis mea
dignumque longa iudicatis memoria;
illiteratum plausum nec desidero;

tamen tristem eum esse moestumque facile agnoscis. Non ergo temere est quod eiusmodi est prima libri fabula ut haud inepte hoc ornetur proöemio:

Qui natus est infelix, non vitam modo
tristem decurrit, verum post obitum quoque
persequitur illum dura fati miseria.

Sed statim postea denuo aperte de se suoque casu loqui pergit. „Leve tibi" ait „librorum meorum genus

---

1) Deleatur hoc participium quod elegantem sententiae structuram pessumdat.

videtur, sed sub ludicra specie magna latet sapientia magnaque utilitas."

Sequuntur tres fabulae Aesopiae, de mustela et muribus, de vulpe et uva, de equo et apro. Additur his „anecdoton" de Aesopo obscurum explicante testamentum; post illud ponitur fabula Aesopia de pugna murium et mustelarum. Iam se diutius continere non potest poëta quin in iniquos artis suae censores invehatur; sed satis inepta est accusatio et defensio. „Si meum" ait „fastidis genus, num tibi non ineptae videri possunt antiquae tragoediae? An forte minus insulsus est Medeae Euripideae prologus quam meae sunt fabulae? Noli ergo, lector, qui tibi supra vulgus sapere videris me artemque meam comtemnere." Inde ad Aesopi stilum revertitur poëta et de serpente ad fabrum ferrarium deque vulpe et capra narrat. Sequitur fabula qua nulla aptior est ad explicandum quando me iudice allegoriae nomine opus sit: illa enim qui fiat ut in suis vitiis caecutiant homines aliena nunquam non observantes ita demonstratur ut Iupiter dicatur hominibus duas imposuisse peras

> propius repletam vitiis post tergum dedit
> alienis ante pectus suspendit gravem.

Quae deinceps (XI) legitur narratio de fure et lucerna cuius generis sit accurate definire non possum, duodecima de Hercule divitias contemnente nullius esse generis videtur. Sequuntur quatuor fragmenta, quorum duo (Homines duo mendax et verax, et simii;

et de leone regnante) fabularum Aesopiarum sunt; illas autem interiisse non est quod graviter doleamus; egregie enim illud damnum novis compensavit fabulis Lucianus Müller, duo fragmenta allegoriarum sunt de origine turpium libidinum. Post fragmenta legitur fabula (XIII) de capris barbatis; illam excipit ineptissima narratio gubernatoris vectores optime monentis, qua se fabularum indolem minime perspexisse magis perspicue quam usquam alibi significat scriptor. Fabula XIX (Canum legati ad Iovem) nihil unquam spurcius ineptiusque scriptum est. Hanc sequuntur duae fabulae satis bonae (de homine serpentem fovente; de vulpe et dracone); deinceps denuo suam causam defendit scriptor ita ut invitus declaret se quamvis sui sit admirator tamen se ipsum probe novisse. Quid enim rectius iustiusque quam illud iudicium quod ne de se ferat „livor malus' tam veretur poëta

Quidquid putabit esse dignum memoria
Aesopi dicet: si quid minus arriserit
a me contendet fictum quovis pretio.

Sequitur „anecdoton" de Simonide; illud excipiunt fabulae de monte parturiente et de formica et musca. Ultimum carmen novum de Simonide continet anecdoton. Clauditur liber dedicatione [1]) ad Particulonem, quae ex arrogantia et ficta verecundia mixta est.

---

1) Recte illam, quae antea post V, 5 legebatur, in suam sedem revocavit Broterius.

Paulo fusius de quarto libro disserendum duxi ut et quantum iam a pristina deflexisset via et quanto magis quam antea de sua gloriola sollicitus esset appareret.

Quintum librum in lucem edens iam eo pervenit arrogantiae poëta ut nihil magis metuat quam ne quis putet quidquam se Aesopo debere. „Si ergo" ait „Aesopi nomen etiam alicubi interposuero, fiet hoc ut illius auctoris nomine carmina mea illustrem; ipsi enim

reddidi iamdudum quidquid debui"

quae verba si accurate interpretaris nihil aliud significare possunt quam: „multo plures fabulas a me inventas Aesopo tribui quam ab illo accepi." Supersunt autem huius libri

sex fabulae Aesopiae: 2, 3, 4, 6, 9, 10
tria „anecdota": 1, 5, 7.

Praeterea Occasionis effigies describitur 8.

Nusquam autem in his Aesopi nomen, quod saepissime in libro III, nec raro in IV legitur, occurrit. Fortasse in fabulis huius libri quae perierunt semel iterumque positum fuit, sed minime certum hoc quidem est. Contendere enim nolim illum errare qui versus

Aesopi nomen sicubi interposuero
auctoritatis esse scito gratia

ita accipiendos credat ut poëta dicat; „si forte imprudens in hoc quoque libro utar Aesopi nomine monitum te anto volo, lector, me id consuetudini magis quam

veritati convenienter facere", licet sibi iam proposuerit nunquam posthac Aesopum nominare, sed tota illa praefatione ideo tantum utatur ut occasionem habeat ostentandi proloquendique quanto iam pristino suo auctori praestet.

Quamquam autem multas periisse fabulas constat tamen totius sylloges epilogus intactus mansit. Nunquam enim plures quam quinque libros fuisse novimus, quorum ultimus hic egregie et tota fabula de cane, sue et venatore et eius epimythio

Hoc cur, Philete, scripserim pulchre vides

clauditur. Nam qui in Appendice leguntur versus

Hoc qualecunquest, Musa quod ludit mea
Nequitia pariter laudat et frugalitas,
Sed haec simpliciter; illa tacite irascitur

rectissime illos accipere videtur Müllerus qui haec annotat: „Hoc carmen in cdd. positum est post fab. I; epilogum fecit totius sylloges Iann., prologum Both.; equidem epilogum fabulae deperditae libri quinti fuisse existimo."

CAPUT III.

Nil tam bonumst quin male narrando possit depravarier.

Enarrata ergo Phaedri „generis" historia iam de ipsis fabulis est dicendum. Earum autem aliquot propter sermonis venustatem aptamque et elegantem brevitatem laude dignae sunt; neque solum de fabulis eius Aesopiis dici id potest sed etiam de uno alteroque „anecdoto." Paululum enim detrahendum est de illo iudicio quod de se latum iri ipse Phaedrus auguratus est (IV, 22, 1—5):

Quid iudicare cogitet livor malus,
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.
Quidquid putabit esse dignum memoria,
Aesopi dicet; siquid minus arriserit
A me contendet fictum quovis pignore.

quamvis in universum verum id esse iustumque plerique lectores sentiant; quis enim, ut hoc utar, negabit satis esse iocosam narrationem de Scurra et Rustico?

Multae tamen fabulae aliquo laborant vitio quod iure ipsi Phaedro imputari possit, qui haud raro antiquam fabulam mutando corruperit. Neque desunt quas ineptas, absurdas, spurcas dicere minime dubitem. Graviter autem saepe in fabulae Aesopiae leges seu ignorantia, seu ἀπειροκαλίᾳ peccasse Phaedrum nunc omnes sciunt; sed primus omnium id et sensit et egregie demonstravit praeclarus ille de poesis legibus iudex Lessingius, cuius licet libri plerisque sint prae manibus tamen ex eius observationibus unam hic afferre volo, primum quia omnium mihi verissima videtur, deinde quia illa afferenda genus quoddam errorum indicabo quos permultos Phaedrus commisit. Ita enim hic narrat I, 4.

> Canis per flumen carnem cum ferret natans
> Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.

„At enim" Lessingius ait „natante cane adeo turbatur aqua ut nulla in ea esse vel cerni possit imago." Tam verum hoc est ut non opus sit multis undique petitis argumentis; non tamen ineptum videtur hic notissimos quosdam Ovidii versus citare quia tam egregie Lessingii iudicium confirmant. Cui enim non illud legenti venustissimus hic in mentem venit locus:

> Dixit et ad faciem rediit male sanus eandem,
> et lacrimis turbavit aquas, obscuraque moto
> reddita forma lacu est. Quam cum vidisset abire
> quo fugis? o remane, nec me crudelis amantem
> desere, clamavit. Liceat quod *tangere* non est
> *aspicere* et misero praebere alimenta furori.

Quod autum Narcissi lacrimae effecerunt quanto magis id natantis canis pedes efficere censendi sunt. Iam vides quod illud Phaedri errorum genus sit, de quo modo dicebam: dummodo iustum impleat senarium id quod olim recte et naturae convenienter narratum est prorsus corrumpere non veretur; vel potius corrumpere se non sentit. Tum enim demum probari haec fabula potest quum canis dicitur in fluminis ripa ambulasse vel flumen ponte transiisse. Iam quantum utilitatis Lessingii observatio habeat, quam necessarium sit eam in Phaedro legendo explicandoque semper ante oculos habere mox videbimus, et possum iam ad ipsum Lessingium lectorem relegare; illius enim scripta pervolvere nunquam pigebit poenitebitve. Sed unam rem addam, quae ad Lessingii praestantissimam diatriben supplendam augendamque alicuius pretii videatur.

Exstitisse olim lepidissimam de ove calumniis pessumdata fabulam illamque apud Phaedrum corruptam legi supra Romuli ope demonstravi. Suspicatus autem sum consulto eam Phaedrum corrupisse, quo magis ad iniurias quibus ipse esset affectus referri posset. Levem eam esse coniecturam probe scio vereorque ne ex ea in me nascatur crimen turpis ignorantiae; videbor enim nescire editis demum primo secundoque libro iniuriis affectum esse Phaedrum, ergo libro primo de iis queri nondum potuisse. Communis haec est virorum doctorum opinio, qui illarum e scriptis Phaedri repetunt originem; quam refellere non conabor quoniam haud ineptam meam esse coniecturam satis iam demonstrasse mihi

videor, probabilem vel veram esse nunquam demonstrare potero. Sed de coniectura mea quidquid sentit lector, negare nemo potest quam apud Romulum legimus fabulam de cane calumnioso multo praestare illi quam de eodem argumento habet Phaedrus. Romulus autem ille vulgo Phaedri paraphrastes appellatur [1]), neque, ut opinor, iniuria; satis enim perspicuum est eum pleraque omnia a Phaedro sumpsisse et versus eius in pedestrem sermonem dissolvisse, sed simul iure mihi contendere videor etiam praeter Phaedrum alium ei notum fuisse fontem e quo fabulas suas hauriret. Permultae enim sunt sententiae in quibus Romuli verba a Phaedri versibus recedunt; illarum autem discrepantiarum pleraeque parvi sunt momenti; aliae uni Romuli stultitiae et impuro sermoni sunt adscribendae, neque tamen desunt e quibus liquide appareat etiam Romuli tempore antiquiorum quarundam fabularum Graecarum, earumque lepidissimarum servatam fuisse memoriam, quae, si unicus tunc fabularum Aesopiarum fons fuisset Phaedrus prorsus interiissent. Id autem comparandis inter

---

1) Primus qui Romuli labor fuerit ingeniose perspexit docuitque Burmannus (ed L. B. 1727), quem nunc plerique philologi sequuntur. Oesterley se prorsus Burmanni sententiae assentiri libri sui titulo significat. Quam vera illa sit nullo argumento melius demonstrari potest quam illo quo Lucianus Müller usus est: is enim singulari artificio fabulas quasdam Romuli, quae apud Phaedrum non exstant, in versus transtulit. Quare obloquendo Burmanno operam perdidisse opinor du Meril p. 91 sqq. Accuratissime hanc quaestionem tractavit Roth, die Mittelalterlichen Sammlungen lateinischer Thierfabeln. Phil. I. p. 523. sqq.

se fabulis de ove falsis circumventa testimoniis egregie demonstrari potest. Quis enim credat ineptum illum Romulum e Phaedri fabula satis bona egegriam fabulam efficere potuisse[1]? Sed fateor me nullum aliud argumentum afferre posse quod aeque certum disertumque sit. Addam tamen et alia quaedam exempla, quae non parem quidem habeant persuadendi vim, sed quia haud dubie eiusdem sunt generis ad confirmandam sententiam nostram rectissime afferri possint.

De fure uxorem ducente haec narrat Romulus (Oest. p. 42):

> Vicini qui erant fures (l. furis) frequentabant nuptias. Sapiens cum intervenisset, vicinos gratulari

---

1) Fabularum Aesopiarum in disticha Latina redactarum poëta, quem etiamnunc multi viri docti Anonymum Neveleti appellant, licet diu ante Neveletum aliquoties sit editus et multorum manibus tritus, partem tantummodo pristini inventi servavit his versibus:

> pro cane stat miluus, stat vultur, stat lupus; instant
> panem quem pepigit reddere, reddat ovis.

et

> ergo suam, licet instet hiems, pervendit amictum
> et Boream patitur vellere nuda suo.

Neque quae esset in testimoniorum gradatione venustas sensit Alexander Neckam (natus a. 1157). Is enim tria testimonia his versibus iuclusit:

> Haec lupus inquit:
> „vidi quod panem praestitit iste tibi."
> Miluus et accipiter eadem sunt testificati.

Servavit tamen et ipse miseram ovis damnatae sortem hoc disticho:

> et quia non habuit quo posset reddere panem
> pro pretio lanam vendidit illa suam.

ut vidit, continuo narrare coepit. „Audite" inquit „gaudia vestra. Sol uxorem voluit ducere; omnis natio interdixit, et magno clamore Iovi convitiis non tacuerunt. Iupiter commotus ab illis causas iniuriae quaerit. Tunc unus ex illis ait Iovi: Modo sol unus est et aestu suo omnia turbat ut deficiat simul omnis natura. Quidnam erit nobis futurum cum sol creaverit liberos?"

Quae fabula licet et ipsa non sit omnibus numeris absoluta tamen multo melius ex ea quam e Phaedriana apparet quid sibi Aesopi voluerit exemplum. Credo hanc apud Graecos fuisse fabulam: „Fur quidam uxorem ducebat; gaudebant vicini rati eum abiecta nequitia et pravitate domi vitam quietam et placidam acturum; ergo omnes alacri animo gratulatum veniebant; intervenit Aesopus e. q. s." Vel hanc: „Fure quodam uxorem ducente gaudebant vicini quod sibi occasio esset oblata molesti et insidiosi hominis sibi conciliandi amicitiaeque cum eo iungendae; accurrunt ergo ad nuptias omnes, gratulantur, dona afferunt; domum redeunt laeti quod iam posthac sibi futura sit vita tutior. Videt rem Aesopus intelligitque et: quid agitis, stulti, ait; laetamini ubi est lamentandi causa e. q. s." At enim, dixeris, e Phaedri verbis non minus bene quam e Romuli eadem peti narratio potest; in uno enim adiectivo „celebres" fere idem est quod Romulus multis dixit verbis: „frequentabant nuptias et vicinos gratulantes vidit" Verum istud esse non negabo sed valde dubito num tam perspicax fuerit Romulus ut illius adiectivi

vim tam bene interpretaretur. Equidem certe fateor mihi Phaedri fabulam semper sensu cassam visam esse donec in Romuli inciderem narrationem.

Inspiciamus nunc aliam Phaedri fabulam; legitur I, 23:

> nocturnus cum fur panem misissit cani,
> obiecto temptans an cibo posset capi:
> Heus, inquit, linguam vis meam praecludere
> ne latrem pro re domini? Multum falleris.
> Namque ista subita me iubet benignitas
> vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

Quid hic nobis narrat Phaedrus? Equidem nullam aliam ex eius verbis expiscari possum sententiam quam hanc: „corrumpere canem volebat fur obiiciendo panem; canis vero corrumpi se non passus est." Hercle exile argumentum ineptaque fabula. Quid autem Romulus?

> Nocturnus quidam fur cum panem mitteret cani canis dixisse fertur: Panis pro gratia datur ut video. Das ut me laedas et unde vicem redditurus sum una cum (sim?) domino domum et totam familiam. Si tu tecum totam auferas domum panem porriges mihi cum fame victus fuero? Nolo fauces meas pane claudas; nolo cibum ut lingua sileat, sed ipse contra latrabo, dominum et familiam suscito. Furem illis nuntio. Non praesentem vitam [volo] sed futuram contemplor; aut ambula aut nuntio. Haec illi intelligant qui ad unum prandium rem suam perdunt.

Impurus haud dubie Romuli sermo est et ineptus

sed antiquam nobis fabulam integram servavit; de cane enim narrat non solum fideli sed et prudenti, qui propter praesens parvumque lucrum spem futuri proiicere nolit. Furi enim respondet: „me pro re domini latrare non vis; at non minus mea quam domini custodio bona, dominum enim si prodam, tibique bona eius auferre permittam, unde ego victum habebo." Ab ipso autem Romulo Phaedri fabulam imperfectam eoque ineptam tam bene esse suppletam ut nihil deesset, nemo, ut opinor, coniiciet [1]).

Fabulas illas triginta, quae in sola Perotti prostant Anthologia, Phaedri esse et multi viri docti senserunt et egregie demonstravit Lucianus Müller (de Phaedri et Aviani fabulis p. 11 sqq). Earum prima haec est:

vulpem rogabat partem caudae simius
contegere honeste posset ut nudas nates.

---

1) Aesopum Latinum (sic enim appellandus potius quam Anonymus Neveleti), impense laudavit Scaliger, contumeliose vituperarunt Desbillons et Furia. Non est, ut opinor, inter hos viros difficilis optio quem auctorem sequaris. Nam elegantissimum versuum artificem fuisse anonymum illum quavis pagina apparet; sed nescio au fabula quam de hoc argumento fecit ceteris omnibus palmam praeripiat. Quid enim venustius hisce versiculis cogitari potest:

Fert munus mea damna tuum, latet hamus in esca
me privare cibo cogitat iste cibus.
Non rapiet nox una mihi bona mille dierum,
nolo semper egens esse semelque satur.

Dolendum est quod Lessingius quibus argumentis barbarum eum et ineptum hominem fuisse censuerit nescimus. Disputationem enim de eo (Wolffenbüttel, Beytrag 5) imperfectam reliquit.

Cui sic maligna: longior fiat licet,
tamen illam citius per lutum et spinas traham
tibi quam partem quamvis parvam impertiar.

Dura, hercle, haec vulpis malignitas; neque esse inter homines quosdam vulpis illius similes quisquam negabit. At inepta est narratio. Quid enim a simio dictum est ad quod vulpis responsum recte referri possit? Illa partem caudae rogaverat; haec: „longa" inquit „licet cauda mea sit, immo longior fiat tamen e. q. s." Recte demum hoc responsum erit, si huiuscemodi argumento in precando usus erit simius: „quid tibi cum tam longa cauda, quae tibi utilitatis nihil, molestiarum multum affert." Lacunam egregie explet Romulus cuius haec verba sunt:

Quid enim inquit utile est tibi ut sis ponderosus sine causa, tantaeque longitudinis cauda tua quam per terram trahis?

En fabulam plenam perfectamque, qua non tam vulpis malignitas perstringitur quam simii impuri in petendo impudentia. Nonne enim iure homo homini irascatur illi qui quamvis omni beneficio indignus sit tamen non vereatur in mendicando huiuscemodi verbis uti: „quid tibi prodest tanta copia? oneris instar ea tibi est, quod quo plus mihi dederis eo magis levabis [1]." Ampliorem autem Phaedri fabulam innotuisse Romulo parum est

---

1) Eleganter Aesopus Latinus:

Quid prodest nimia campos insculpere cauda?
Quod mihi prodesset, est tibi pondus iners.

probabile; Romulum ipsum eam imperfectam esse observasse et de suo explevisse haud facile cuiquam persuadebitur.

Apud Phaedrum hanc de equo et apro legimus fabulam IV, 4:

Equus sedare solitus quo fuerat sitim
dum sese aper volutat turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero
auxilium petiit hominis, quem dorso levans
rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques
postquam interfecit sic locutus traditur:
Laetor tulisse auxilium me precibus tuis;
nam praedam cepi et didici quam sis utilis;
atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum maestus ille: parvae vindictam rei
dum quaero demens, servitutem repperi.

Perstringere voluit poeta homines stultos, qui ut inimicos ulciscantur se potentiori alicui tradant in servitutem. At re accurate expensa non tam fuit stultus equus quam videtur. Homo qui se ab alio homine decipi patitur, ab eo praesertim homine cuius mentem antea perspicere potuerit, stultus et imprudens dici potest. Sed quae est equi stultitia, si homini inferior est calliditate? Neque solum callidus eques est, de quo Praedrus narrat, sed etiam perfidus; illum cavere qui potuit equus? Quanto melior ergo et ad docendos homines utilior Romuli fabula est.

Equus et cervus inimicitias inter se duxerunt.

Cumque videret equus cervum in omnibus aptum excussum [1]) leviorem et corpore decorum et arboreis cornibus ornatum equus livore coactus se ad venatorem contulit. Cui ait: Est in prospectu cervus omnibus ad videndum mirabilis. Quem si venabulo poteris transfigere abundabis pulcherrima carne ad escam. Cuius cornua et ossa pecunia vendes non parva. Ille venator cupiditate accensus quomodo ait poterimus capere cervum? Equus venatori dixit: Ego monstrabo capiendum meo labore cervum. Tu vero sedens super me cum consecutus fuero venabulo manu tua excusso, vulnerato cervo et occiso, tua venditione perfecta gratulabimur ambo. Hoc dicto venator super equum adscendens de loco cervo moto cum agitaret in cursu cervus non immemor sui naturalis ingenii celeres tendebat pedes transsiliens campos, in saltu cursu veloci illaesus evasit. Equus vero cum sudore se maceratum et fatigatum videret sic dixisse sessori fertur: Quo tendebam attingere non potui; descende et vade solito more transigere vitam tuam. Cui contra desuper sessor: Non habes, inquit, potestatem currendi, quia frenum in ore habes, nec saltum dare quia sella te premit. Si calcitrare volueris flagellum in manu teneo. Illos increpat haec fabula, qui cum aliis voluerunt nocere se potius subiugant.

---

1) An *et cursu?*

Quanto stultior Romuli quam Phaedri equus: quam enim rem tibi callide excogitasse videris, de qua ergo ante tibi erat ineunda ratio ita ut et commoda et incommoda quae inde nasci possent perspecta et bene explorata haberes, in illa tam plane a proposito aberrare ut summum accipias damnum et ne parvum quidem illud lucrum accipias cuius causa novo consilio usus sis, ea demum vera et solida dementia est. Perspexit hoc non Romulus sed auctor eius, quem a Phaedro diversum fuisse res ipsa clamat.

Sed nequid disputationi de hac fabula desit pauca addenda videntur. Ne Aristotelis quidem narratio de Simonide (Rhet. II, 20) tam plena et perfecta est quam Romuli fabula. In illa enim equus hominem rogasse traditur possitne se in poena de cervo sumenda adiuvare. Respondet homo: „possum, si tu frenum accipis egoque te conscendo et iacula sumo." Nam Cononis narratio (42 apud Photium) multo etiam Phaedri fabulae est similior: in ea enim et ipsa cervus a venatore iaculo transfigitur. Lepidiorem et utiliorem eam esse narrationem in qua imprudens equus semet in servitutem tradens ne levi quidem ultionis fruatur voluptate quis non sentit?

Horat. Ep. I, 10, 37 sq. ad fabulam respicit in qua cervus occiditur; vs. 34 sqq.

cervus equum pugna melior communibus herbis
pellebat, donec minor in certamine longo
inploravit opes hominis frenumque recepit.

aeque bene ad fabulam quam Phaedrus tradidit referri potest quam ad eam quae a Romulo est servata.

E Romuli fabula haud illepidam elegiam fecit Alexander Neckam, e qua hos versus affero

Fortis equus cervum nimis oderat, et tamen illum
cornibus armatum vincere non poterat.
Venatoris opem tandem petit et sibi cervum
praepinguem blande supplicat [1]) ut capiat;
et iubet ipse sibi frenum sellamque parari
et de praedictis quid fieri [2]) docuit.
Dicta placent: vir scandit equum, cervumque fugacem
per sata, per campos, per nemus insequitur;
et tamen evasit velox sine vulnere cervus
ut qui non aliquo pondere pressus erat e. q. s.

Ultimus quem citavi versus egegie, ut opinor, demonstat haud spernendi acuminis virum Alexandrum illum fuisse, qui tam bene perspexerit quod fuerit pristinae fabulae argumentum. Illa enim docet saepe ulciscendi studio abreptos homines eiusmodi capere consilium, quo et in magnam incidant calamitatem et ipsam ulciscendi facultatem amittant.

1) v. l. *Suggerit* haud male.
2) An *fieret*?

CAPUT IV.

Si merui videorque nocens excidite ferro.

Sed qualescunque Phaedri fabulae sunt, vitiorum quibus laborant unum certe est quod me iudice neque ipsi Phaedro debetur et nullo labore tolli potest. Contendo enim praecepta illa moralia, quorum causa ipsae fabulae sunt narratae, sive ea promythia appellantur sive epimythia, aut omnia aut tantum non omnia a lectoribus, quorum alius alio fuit stultior ineptiorque, ficta et invitissimo Phaedro affixa esse. Iam illis sublatis quanto ipsae fabulae fiant meliores, quanto maiorem habeant vim tam delectandi quam monendi quis est qui nesciat? Quid enim insulsius est inficetiusve quam ita scribere ut lectoribus nulla relinquatur cogitandi materies? Quis homo paulo venustior unquam ita facetiam dixit ut simul eam explicaret et verbis tritis obsoletisque interpretaretur? Egregie hoc sensit Fr. Jacobs, qui in libello c. t. Aesthetische Bemerkungen über die Fabeln des Phaedrus de promythiis epimythiisque nostris ita iudicat:

> Die (I. 27) vorangeschickte Moral enthält die Absurdität des Schluszes noch einmal in sehr lahmen Ausdrücken. Vielleicht muss man Bentleys Meinung beytreten, der sie für untergeschoben erklärt, und ich weiss nicht, ob diess nicht von mehrern, ja den meisten Moralen beym Phaedrus gilt.

Neque alia est opinio Merilii, cuius haec verba sunt (p. 72):

> La morale, cette marque d'un esprit beaucoup plus moderne, est souvent assez gauchement accolée au recit pour forcer à ne pas le croire de la même venue.

Est ergo quod mireris viros doctos qui de hac re sententiam suam dixerunt omnes paucissimis verbis defunctos, nenimem curiosius eam pertractasse. Quod ego nunc facere conabor; et quamquam verbis non parcam tamen non undique argumenta corradam, sed uno potissimum utar noto quidem omnibus sed a viris doctis hucusque aut neglecto aut spreto. Illud quale sit brevissime dici potest. Fabularum Phaedrianarum, quae in anthologia Perottina (cod. V) reperiuntur, nulla est quae epimythium promythiumve habeat poëticum [1]).

„Heus tu" ita iam undique clamantes mihi audire videor lectores „ergone ne hoc quidem nosti Lucianum Müller istud tuum argumentum iam ante multos annos

---

1) Argumenti vim, licet prave eo, me iudice, usis sit, egregie perspixit du Méril, qui ita dicit: „Le manuscrit du Vatican a même probablement gardé le souvenir de la forme première."

refutasse?" Eiusmodi enim nunc nimis multi viri docti sunt, qui si rem sibi notam in aliquo libro non reperiant statim turpem odorentur ignorantiam, neque quidquam alia causa omissum esse credere vel possint vel velint quam quod scriptor illud nunquam viderit, legerit, audierit. Quamquam haec quidem hac in re suspicio nimis absurda est. Quis enim nostro tempore poëtam aliquem Latinum aggrediatur non habita Mülleri, omnium praestantissimi ducis, ratione? Sed iam ad ipsam rem redeundum est.

Nota res est in codice Vaticano pro omissis poëticis promythiis epimythiisque inscriptiones pedestri sermone scriptas legi. Cuius rei quae causa sit ita explicat Müllerus ut Vaticani codicis inscriptionibus enumeratis haec verba addat:

> His propositis apparet auctorem anthologiae, qua usus est Perottus, ubi promythiis epimythiisve a Phaedro perspicue esset expositum fabulae argumentum, satis habuisse eius verba pedestrem in sermonem redigere, ubi obscurior esset sensus, a proprio ingenio, quod equidem erat minime subtile, petiisse auxilium explicandae fabulae.

Iam quid de ea Mülleri explicatione censeam accurate exponam. Primum ergo proloqui non vereor vix quidquam exogitari posse quod magis ipsius, ut ita dicam, naturae legibus adversetur quam id quod Perotto, vel eius auctori, evenisse Müllerus suspicatur. An forte credibile est quemquam tam perversum fuisse ut fabulas nonnullas e collectione quadam in suam anthologiam quum

reciperet, ipsam fabulam non sufficere crederet sed opus esse praeceptum morale, cui tradendo fabula inserviret, addere, illud autem quod iam in collectione paratum esset, describere aspernaretur, sed pro praecepto poetico inepto ineptius etiam pedestre ponere mallet? Accedit hoc, quod gravius etiam videri possit, non tantam inter Perottinas sententias pedestres et praecepta in codicibus Phaedri servata intercedere similitudinem quantam Müllerus censet. Age iam de omnibus videamus.

Codex V. cum Phaedri codice, qui unus iam exstat, duos et triginta fabulas communes habet. Earum *quinque* sunt, quae Perottinam sententiam in fronte habeant ita ut e fabula quae in Phaedri codice legitur nil omittatur. Sunt hae:

L. II epil. praeposita est haec sententia: *ingenio et virtuti veram gloriam tribui.* Sed deinde legitur vs. 3 sq.

Patere honoris scirent ut cuncti viam.

L. III. 4. Perotto: *aspectu hominum saepe iudicium falli.* Sequuntur ipsi illi septem versus, quos Phaedrus habet.

L. III, 11. Perotto: *haud insectandum esse fortunae vitium.* Phaedri fabula nullum praeceptum morale habet nisi quod ipsi Eutycho tribuitur.

L. III, 18. Perotto: *oportet omnes contentos esse sorte sua.* Idem tamen et epimythium haud invenustum vereque Phaedrianum habet:

noli affectare quod tibi non est datum
delusa ne spes ad querelam reccidat.

L. V, 1. Per.: *quomodo saepe fallatur hominum iudicium.* In Phaedro nullum est promythium epimythiumve quod omittere potuerit Perotto.

Tres sunt, quae aliquo quidem versu codicum Gallicanorum careant, sed nullo quod ad hanc pertineat causam.

L. III. 14. Per.: *Relaxandum esse interdum iocis et ludis animum.* Ex ipsa fabula omissus vel neglectus est vs. 8:

> Nec quaestionis positae causam intelligit.

L. III, 19. Per.: *in tanta mortalium multitudine paucos esse homines.* Omissus est ultimus versuum quos narratione aut Phaedrus aut lector aliquis (dubia enim res videtur) addidit:

> Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
> sensit profecto se hominem non visum seni,
> intempestive qui occupato alluserit.

L. IV, 22. Per: *multum semper invidiae inter homines esse.* Pro primis versibus

> Quid iudicare cogitet livor malus
> licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.
> Quidquid putabit esse dignum memoria.

Perotto habet: *Heu quantus est semper mortalium livor! Sunt qui quidquid putant dignum memoria.* Sed nihil totum hoc carmen, quod nullam fabulam vel narrationem contineat, ad hanc quaestionem.

Una fabula nihil quod a Perotto fictum esse possit habet quam inscriptionem paucorum vocabulorum. Fabulae enim II, 7 in cod. Vat. omissum est epimythium.

> Hoc argumento tutast hominum tenuitas;
> Magnae periclo sunt opes obnoxiae

pro eoque legitur inscriptio *de divitiis et paupertate.*

Est et alia fabula quae eiusmodi inscriptionem haboat, sed ea in Cod. P. est et fuit in R. Vocabula enim *in avarum*, quae in V. fabulae IV, 21 sunt propositae in Phaedro post vs. 21 leguntur. Apud Phaedrum praeterea praecedit fabula, sequitur ad avarum hominem allocutio, apud Perottum inversus est ordo. In fine fabulae cod. N. Anthologiae Perottinae versum habet „a Perotto fictum" ut ait Lucianus Müller.

> fabellae nostrae parum aures accommoda.

Nunc *tria* Perotti trium fabularum praecepta indicabo, quae nihil commune habeant cum versibus qui solis Phaedri codicibus servati sunt.

L. III. 1. Phaedrus hoc epimythium habet

> Hoc quo pertineat dicet qui me noverit.

Caret eo cod. V. sed pro eo haec habet: *luxuriosos et sola luxuriae cogitatione delectari.*

L. III. 2. Pro promythio

> solet a despectis par referri gratia

apud Perottum legitur: *non faciendam esse alicui iniuriam.*

Fabula quae in Phaedro est III, 13 bis apud Perottum legitur; altero loco (27) habet inscriptionem: *ubi dubia est sententia astu utendum esse*, altero (46*b*): *pulcher modus iudicandi.* Absunt hi versiculi, qui pro Phaedrianis traditi sunt:

> Hanc praeterissem fabulam silentio,
> si pactam fuci non recusassent fidem.

Neque multo maior est similitudo quae inter *duo* Perotti praecepta versusque, quos pro illis habent codices Gallicani intercedit.

L. III, 10. Cod. V. hanc inscriptionem habet: *de fide non adhibenda temere et adhibenda opportune*, non habet septem versus qui sunt in Phaedri codicibus 54—60:

> Hoc admonere simplices etiam potest,
> opinione altrius nequid ponderent;
> ambitio namque dissidens mortalium
> aut gratiae subscribit aut odio suo.
> Erit ille notus, quem per te cognoveris.
> Haec exsecutus sum propterea pluribus,
> brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

L. III, 12. Pro poëtico epimythio:

> Hoc illis narro qui me non intelligunt.

Perotto dat: *contra eos qui res optimas non gustant.*
Quatuor sunt fabulae a Perotto ita traditae ut versus

unus pluresve, quos nunc apud Phaedrum legimus, absint sed pro iis praeceptum sit positum illis non prorsus dissimile.

L. III, 5. Perotto hanc sententiam fabulae praemittit: *male agentes processu temporis puniri*; pro ea in Phaedro legitur promythium

successus ad perniciem multos devocat.

Nulla re hae inter se conveniunt sententiae nisi soni similitudine quae est in vocabulis *processu* et *successus*.

L. V, 5. Apud Phaedrum hoc habemus promythium:

Pravo favore labi mortales solent
et, praeiudicio dum stant erroris sui,
ad paenitendum rebus manifestis agi.

In his *praeiudicio* est Baehrensii emendatio vulgatae lectionis *pro iudicio*. Huic ille cur praestet non video neque tamen nego eleganter dici posse *praeiudicio erroris stare* pro *praeiudicii falsi tenacem esse*. Sed utut est, sat multum interest inter illos versiculos et Perottinum praeceptum: *pravo favore saepenumero homines labi*.

Paulo maiorem similitudinem haec praecepta praebent.

L. II, 6. Perotto: *potentibus non facile resisti posse*; *quod si nefarius consiliator accesserit, omnia pessumdari*. Eiusdem generis aliquid docet promythium, quod apud Phaedrum legimus:

contra potentes nemost munitus satis;
si vero accessit consiliator malficus,
vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Haud tamen levis est discrepantia, quae qualis sit mox dicam.

Transeo nunc ad eas fabulas, quae apud utrumque praeceptum habent eiusdem vel fere eiusdem argumenti. Primum indicabo eas fabulas, quarum praecepta licet idem moneant tamen quod ad formam attinet longe inter se distant.

L. III, 3. Narrationem apud Phaedrum hi versus praecedunt:

> Usu peritus hariolo veracior
> vulgo esse fertur, causa sed non dicitur,
> notescet quae nunc primum fabella mea.

Fere idem est argumentum praecepti Perottini, quod paucis comprehenditur vocabulis: *ratione potius quam oraculis agendum.*

L. III, 6. Perotto docet: *vanas minas sine virtute parum momenti habere.* Duobus versibus hoc traditur praeceptum apud Phaedrum:

> Hac derideri fabula merito potest,
> qui sine virtute vanas exercet minas.

L. III, 7. Apud Phaedrum haec fabula incipit a versu:

> Quam dulcis sit libertas breviter proloquar.

Perotto sententiam habet inscriptioni quam promythio similiorem: *quam dulcis sit libertas.*

L. IV, 23. Apud Phaedrum hoc habemus promythium:

> Homo doctus in se semper divitias habet.

Prorsus aliis verbis fere idem docet Perotto: *De Simonide poëta, et quod homo virtute et doctrina praeditus omnia sua secum habet.*

„At enim" dixerit lector hisce recensitis, „restant tamen *quinque* fabulae, quorum praecepta a Perotto ita traduntur ut levissima mutatione ex iis effici possint versiculi quos nunc Phaedrus habet." Atque ita rem se habere minime nego. Sed praestat fabulas quae eo pertinent indicare.

L. III, 15. Perotto pro epimythio

> His demonstare voluit auctor versibus
> obsistere homines legibus, meritis capi

pedestre hoc habet promythium: *obstare saepe homines naturalibus legibus, meritis capi.*

L. III, 16. Praeceptum, quod apud Phaedrum fabulae praemissum est:

> Humanitati qui se non accommodat,
> plerumque poenas oppetit superbiae

sic traditur in cod. V: *non esse sponte alicui faciendam iniuriam*; *nam qui humanitati se non accommodat, plerumque poenas dat superbiae.*

L. III, 17. Quid doceat fabula de arboribus in deorum tutela apud Phaedrum hoc versiculo docetur:

> Nil agere quod non prosit fabella admonet.

Pro eo in cod. V legitur: *nihil agendum esse quod non prosit.*

L. V, 2. Haec fabula apud Phaedrum hoc habet epimythium:

> Illi assignari debet haec narratio,
> qui re secunda fortis est, dubia fugax.

Caret eo cod. V, in quo promythium pedestre: *multos in rebus secundis fortes esse, qui in dubiis sunt timidi.*

L. V. 3. Legimus apud Phaedrum epimythium:

> Hoc argumentum veniam dandam illi docet
> qui casu peccat: nam qui consilio est nocens,
> illum esse quavis poena dignum iudico.

Idem docet Perotto his verbis: *his qui casu peccant dandam esse veniam, qui vero consulto delinquunt, eos esse puniendos.*

An ergo quinque haec exempla sufficiunt ad Mülleri sententiam probandam? Minime, ut opinor. Primum enim pauca ea sunt e multis: cui opponi possint *quindecim* e quibus liquido contrarium appareat, *duodecim* quae ad utramvis rem demonstrandam afferri possint.

Multo ergo mihi probabilius videtur epimythiorum promythiorumque hanc esse historiam: Antiquissimi Phaedri codices nunquam aut fero nunquam fabulis addita habebant praecepta; pedestri sermone ea adiici coepta sunt; postea Phaedri fabulae a docto quodam librario descriptae sunt, qui earum praecepta versibus includeret. Ita duo genera codicum nata sunt: e codice qui antiquioris fuit generis suas fabellas in Anthologiam

suam transtulit Perotto; ex exemplari recentioris generis nati sunt Pithoeanus codex atque Remensis [1]).

Sed nolo hanc urgere sententiam. Si quis enim contendat fortuito factum esse ut e triginta duobus praeceptis Perottinis quinque Phaedrianis et argumento et forma sint similia, non acriter me habeat adversantem. Quin etiam hoc addo eiusmodi similitudinem mihi argumenti vim habere posse minime videri. Nulla enim est vel esse potest sententia Latina, quin ex ea lenissima mutatione senarius Phaedrianus effici possit [2]). Dabo exemplum.

In partes omnis tres divisast Gallia.

Nonne bellus hic senarius? An forte minus est probandus quam hic Phaedri

Hi cum cepissent cervum vasti corporis?

Ecce alios:

Suum tribuere cuique, honeste vivere,
non laedere alium, iuris haec praecepta sunt.

Quis hoc argumento contendat Institutiones Iustiniani, quo facilius memoria tenerentur, metrice scriptas fuisse? Quod si aliquot verbis Latinis praeceptum morale con-

---

1) Egregie huic coniecturae favet Rothii sententia, qui (Phil. I, 552 sqq.) demonstrat eandem fere esse originem fabularum Perottinarum et chartae Danielis, ambas autem non ex eodem fluere potuisse fonte e quo P. et R. prodierint.

2) cf. Cic. Orator § 189; Arist. Poët. 4, Rhetor III, 8.

tinetur, nihil est facilius quam ex iis senarios fingere, qui promythiis epimythiisque Phaedrianis similiores sint quam ovum ovo. Ecce tertium exemplum:

> Animalibus praestare sese qui studet
> homo aliis, illi summa nitendumst ope
> silentio ne totam vitam transigat,
> ut pecora quae natura ventri obnoxia
> et prona finxit.

Age nunc ipsa illa promythia epimythiaque aspiciamus quibus codex V. caret; videbimus eorum alia fabulis esse affixa quae nullum admittant praeceptum; alia inepte cum fabulae argumento certare, alia alio laborare vitio. Simul sic occasionem habebimus de aliis quibusdam versibus dicendi, quos Phaedri codices habent, Perotto non habet.

II, 6 hoc habet promythium:

> Contra potentes nemost munitus satis;
>   si vero accessit consiliator malficus,
> vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Inepta est sententia: si enim *nemo* satis munitus est contra potentes, quidquid accedit non potest miserior fieri conditio hominum qui iniusto serviunt tyranno; et certat cum narratione: testudo enim tam munita erat ut neque rostrum neque ungues potentis aquilae ei nocere possent; accedente demum consiliatore malefico avium regis praeda facta est. Egregie hoc sensit ipse poëta, qui narrationem claudit his versiculis:

sic *tuta* quae naturae fuerat munere
impar duabus occidit tristi nece.

II, 7. Epimythium

Hoc argumento tutast hominum tenuitas;
magnae periclo sunt opes obnoxiae.

non certat cum fabulae argumento sed plane abundat. Praeceptum enim inest in responso quod flenti consorti dat mulus:

me contemptum gaudeo;
nam nil amisi, nec sum laesus vulnere.

II, 8. Apud Perottum hunc habet: *praedamque tollit quam paraverat casus.* In Phaedri codicibus legitur:

praedamque tollit. — Haec significat fabula
dominum videre plurimum in rebus suis.

Videri possit Perotto, quamvis id sit incredibile, consulto alterum versum corrupisse, ut alterum *omittere* posset; constat tamen sententiam *haec-rebus suis* iam plane et perspicue pronuntiatam esse a bove his verbis:

Salvum te cupimus quidem,
sed ille, qui oculos centum habet, si venerit
magno in periclo vita vertetur tua.

II. Epilogus apud Phaedrum undeviginti versuum est, apud Perottum quatuor. Non negabo speciosam coniecturam esse censentium quindecim versus a Perotto de industria vel gravi negligentia esse omissos;

auctor tamen lectori sum ut secum consideret quam ineptus eorum sensus sit, et quam male cum praecedentibus cohaereant.

III, 1. Fabulae de Anu ad Amphoram adiectus est hic versus:

Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

Facile est hic suspicari Perottum consulto omisisse versum qui ad Phaedri vitam pertineret, ut qui anthologiae suae consilio alienus esset. Observandum tamen, quod iam antea dixi, eiusmodi lamentationem parum apte positam esse in libro tum scripto quum poeta sibi iam videretur ad summam pervenisse praestantiam.

III, 2, 1. Solet a despectis par referri gratia.

Cuinam lectori opus est hoc promythio quum ipsam pantheram mox audiat dicentem:

memini quis me saxo petierit,
quis panem dederit: vos timere absistite;
illis revertor hostis, qui me laeserunt.

III, 3, 1—3. Usu peritus hariolo veracior
vulgo esse fertur, causa sed non dicitur,
notescet quae nunc primum fabella mea.

Narraturus ergo est poëta quomodo proverbium: *usu peritus hariolo veracior* natum sit. At verum illud esse ex ipsa narratione minime apparet. Quid enim? Quae causa fuit cur monstrum illud recte interpretaretur Aesopus? An quod Aesopus *usu* doctus fuit. Minime,

ut opinor. Neque enim pastorem fuisse Aesopum usquam est traditum neque usus esse potest rei tam immanis tamque spurcae ut aut numquam facta sit aut semel. Non usus Aesopum docuit sed innata perspicacitas. Quod harioli non intelligebant perspexit naris emunctae senex. Multo ergo melius narrationi convenit Perottina sententia: *ratione potius quam oraculis agendum.*

III, 5, 1. Successus ad perniciem multos devocat.

Neque necessarium hoc promythium est neque fabulae respondet. Non enim successus petulantem ad perniciem devocavit, sed crudelis calliditas qua in ulciscendo Aesopus usus est.

III, 6, 10 sqq. Hac derideri fabula merito potest
qui sine virtute vanas exercet minas.

Quis tam frigida languidaque interpretatione lepidum equi responsum explicari ferat?

III, 7. E lupi cum cane colloquio tam plane apparet *quam dulcis sit libertas* ut ineptum sit illa vocabula praemittere.

III, 8. Pater quidam rixa inter filiolum filiolamque speculum inspicientes orta eam occasionem arripuit optima quaeque eos monendi. Docet ergo fabula qui mentem sapientibus sapientum consiliis praeceptisque excoluerit ne speculum quidem vanitatis esse instrumentum sed virtutis officiique vel illud admonere eum posse. Ridiculus ergo Perotti auctor qui hanc esse fabulae sententiam credat: *quam saepissime adolescentibus speculum*

esse inspiciendum; sed ineptior etiam qui Phaedro hoc obtruserit promythium

Exemplo monitus saepe te considera,

nihil enim ille, ne falso quidem, coniicere potuit. Eiusdem fabulae vs. 11.

Vir natus quod rem feminarum tetigerit

a codice V. abest: necessarium eum esse versum nemo contendat.

III, 10. Quam sit periculosum temere aurem praebere calumniatoribus hac docet narratione poëta: libertus quidam ad patronum ficta de eius filio crimina detulit; adiecit calumniam de adultero ad uxorem eius ventitante. Simulato itinere maritus inexspectato in cubiculum uxoris nocte venit ut adulterum deprehendat; in eodem et filium cubare iusserat uxor et casta et de filii moribus sollicita. In tenebris temptat caput filii pater; adulterum se tenere ratus filium perfodit; ubi errorem agnovit ipse in gladium incumbit. Fit rea uxor; quo iure haud facile dicas, nam satis inepta est narratio. Sequuntur haec:

39. A Divo Augusto tunc petierunt iudices
ut adiuvaret iuris iurandi fidem,
quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniae
certumque fontem veritatis repperit:
luat, inquit, poenas causa libertus mali.

Vss. 42 sq. *qui postquam — repperit* — in cod. V. non leguntur, neque quisquam, ut opinor, lector aegre eos desiderabit. Quamvis enim absurda sit narratio, aliquanto etiam illis additis fit absurdior. Quid enim indagare potuit Augustus? Varitatisne fontem? Sed sensu cassa ea sunt vocabula; *criminis fons* quaerendus erat; hoc, ut opinor, Augustus fecit; quo facto cognovit a liberto totum crimen conflatum esse, ab illoque patronum in errorem esse inductum. Malo ergo abesse versus quos dixi quam narrationem inepto illo *veritatis fontem* inquinari. Accedit quod Phaedrus amat subitas ab alio ad aliud subiectum transitiones et *τὸ ἀσύνδετον* in narrationibus. Sed de ea re postea etiam dicendum erit. Praecedunt autem narrationem nostram exempla quaedam e quibus appareat et credere et non credere periculosum esse. Verbosum sane illud est prooemium, sed et apud Perottum et in Phaedri codicibus legitur. Sequuntur narrationem hi versus:

> Nil spernat auris, nec tamen credas statim,
> quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
> et qui non peccant impugnantur fraudibus.

Aequo hoc quoque epimythium ferendum esse animo censeo, quoniam in eo addendo consentiunt Perottus et codices Gallicani. Sed nunc satis iam esse praeceptorum et sententiarum moralium videtur, gaudemusque quod auctore codice V. abiicere possumus pannum, qui apud Phaedrum panno est assutus:

Hoc admonere simplices etiam potest,
opinione altrius nequid ponderent:
ambitio namque dissidens mortalium
aut gratiae subscribit aut odio suo.
Erit ille notus quem per te cognoveris.
  Haec exsecutus sum propterea pluribus
brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

Ultimi versus: „Haec.... offendimus" ad deridendum poëtam scripti videntur.

III, 13. Fabulae de lite inter apes fucosque a vespa dirempta apud Phaedrum hi versus adduntur:

Hanc praeterissem fabulam silentio,
si pactam fuci non recusassent fidem.

In cod. V. non leguntur. A Perotti auctore temere omissos esse concederem, si eorum sententiam melius perspicerem.

III, 15. Fabula de cane ad agnum in codicibus Gallicanis hoc habet epimythium:

His demonstrare voluit auctor versibus
  obsistere homines legibus, meritis capi.

In cod. V. non legitur; recte, ut opinor; prorsus enim supervacaneum est, et vix credibile videtur Phaedrum, quum hanc fabulam scriberet, etiam Aesopum auctorem citasse, quem iam prae se contemneret. cf. Prol. 5 sqq.

Rem me professum dicet forsan quis gravem.
Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha
aeternam famam condere ingenio suo,
ego, literatae qui sum proprior Graeciae,
cur somno inerti deseram patriae decus?

Neque in hac causa negligendum videtur praecedentis fabulae (XIV) epimythium:

Sic ludus animo debet aliquando dari
ad cogitandum melior ut redeat tibi

quod minime ineptum est, tam in cod. V quam in ceteris fabularum Phaedrianarum codicibus legi.

III, 16. Fabula de cicada et noctua hoc habet promythium:

Humanitati qui se non accommodat,
plerumque poenas oppetit superbiae.

Non id agnoscit cod. V. neque scripsit Phaedrus, ut opinor; sententia enim fabulae multo rectius multoque venustius explicatur versu:

Sic viva quod negarat tribuit mortua.

III, 17. Narrationi de Minerva olivam in tutelam suam recipiente, ceteris diis steriles arbores sumentibus, in Gallicanis codicibus additur versus:

Nil agere quod non prosit fabella admonet.

Sed auctore cod. libenter eum abiicimus. Quae enim sit huius *μύθου* sententia iam dictum est a Jove:

O nata, merito sapiens dicere omnibus!
Nisi utilest quod facimus, stultast gloria.

III, 19. Lepidum est huius fabulae epimythium:

Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
sensit profecto se hominem non visum seni.

Sed languidum fit addito:

intempestive qui occupato alluserit

qui versus non est in cod. V.

IV, 22. Pro versibus 1—3

Quid iudicare cogitet livor malus,
licet dissimulet pulchre tamen intelligo.
Quidquid putabit esse dignum memoria

in V. legitur

Heu quantus est semper livor mortalium!
sunt qui quidquid putant dignum memoria.

Pro arbitrio corrupisse versus Perottum, quo anthologiae suae fierent aptiores, vel quacunque de causa negare nolo.

IV, 25. 1. Homo doctus in se semper divitias habet.

Multo melius hoc cum e tota fabula, tum e Simonidis dicto „mecum mea sunt cuncta", quo non semel sed bis ille utitur, lector discat non nimis stupidus.

IV, 25, 1. In proscribendo promythio

Nil agere quod non prosit fabella indicat

quod a cod. V. abest, consentiunt viri docti. Sed non magis probandum epimythium:

Fabella tales hominum discernit notas
eorum, qui se falsis ornant laudibus,
et quorum virtus exhibet solidum decus.

Quod quam sit ineptum vel ex uno vocabulo *eorum* apparet. Non temere ergo est quod Perotto illos versus non agnoscit.

IV, 26. Sex versibus brevior est haec narratio apud Perottum quam in codicibus Gallicanis; tantoque, ut opinor, melior. Quam ineptum enim est promythium:

Quantum valerent inter homines litterae,
dixi superius: quantus nunc illis honos
a superis sit tributus tradam memoriae.

An illo sententiae loco vocabulum *nunc* vel apud poëtam poni potest? Post vs. 20

Splendebat hilare poculis convivium

ingrate abundat

Magno apparatu laeta resonabat domus.

Postremo apud Perottum exsulant vss. 26 sq.:

Ipsius interesse ne faciat moram
Homo perturbatus excitat Simonidem.

Neque Orellio aliisque viris doctis assentior censentibus ideo hos versus a Perotto esse omissos quod iam ante illum vel eius auctorem versuum turbatus hoc

loco esset ordo. Potius credo insertos esse a grammatico, cui displiceret subita subiectorum mutatio, quam Phaedro probatam fuisse negari non potest.

V, 2. Non habet cod. V. epimythium:

> Illi assignari debet haec narratio,
> qui re secunda fortis est, dubia fugax.

Sed quis quid fabula doceat non ex ipsa fabula cognoscat?

V. 3, 10—13.

> Hoc argumentum venia mage (?) dignum docet
> qui casu peccat quam qui consiliost nocens.
> Illum esse quavis dignum poena iudico.

Hoc quoque epimythium ignotum fuisse Perotti auctori opinor neque a Phaedro additum. Nihil enim continet quod non iam iisdem fere verbis in narratione dictum sit. Vs. 13. Müllerus inclusit.

V, 4. Inepte narrationi adduntur vss. 7—12.

> Huius respectu fabulae deterritus
> periculosum semper vitavi lucrum.
> Sed dices: qui rapuere divitias latent.
> Numeremus agedum, qui deprensi perierunt.
> Maiorem turbam punitorum reperies.
> Paucis temeritas est bono, multis malo.

neque cum illa ullo cohaerent vinculo. Qui quum in V. non legantur a Phaedro factos non opinor.

V, 1—3. Lepidam de Scurra et rustico narrationem dedecorat promythium:

> Pravo favore labi mortales solent,
> et, praeiudicio dum stant erroris sui,
> ad poenitendum rebus manifestis agi.

Quis enim *poenitentiae* locus est ubi nullum damnum acceptum est? Liber ea macula est cod. V. Versus 29—31 ineptos esse mox demonstrare conabor, sed sive abest vs. 31 (ut in cod V.), sive non, eadem est perversitas.

Vidimus ergo vix esse credibile Perottum id fecisse quod Müllerus censet ut temere iterum iterumque versus quosdam abiiceret: quamquam semel id eum fecisse fateor. Vidimus praeterea omnia illa epimythia et promythia quae apud illum non leguntur aut inepta esse, aut certare cum fabulae argumento aut prorsus esse supervacanea. Satis ergo credo causae esse cur et in fabulis, quae in solis codicibus Gallicanis leguntur, si quod praeceptum sive in initio sive in fine legitur, quod nimis ineptum videatur, confidenter illud abiiciamus.

Restat unum argumentum quo quis ad meam sententiam impugnandum uti possit. Fabularum, quae in sola Perotti anthologia leguntur, nonnullae sunt, quae

poeticum habeant promythium epimythiumve. Illa ergo recensebo. Sequar numeros Appendicis quae est apud Müllerum.

II, 12—14.

Ergo contenti munere invicti Iovis
fatalis annos decurramus temporis,
nec plus conemur quam sinit mortalitas.

Neque invenusti hi sunt versiculi (de ultimo enim infra erit dicendi occasio) et praecedentibus convenientes. Totum enim carmen sententiosum est; a fabula Aesopia mirum quantum differt.

IV. Fabulae de Prometheo et Dolo adiuncti sunt a Bothio versus:

Simulata interdum vitia prosunt hominibus,
sed tempore ipso tamen apparet veritas

qui in codice sequuntur aliquot carminibus interpositis et inscriptione: *nihil diu occultum.* De his versiculis tacere satius est quam sententiam dicere. Ne hoc quidem mihi constat rectene an falso eos a pristina sede removerit Bothius. Ubicumque enim positi sunt, sententiam eorum minime perspicio; et neque *simulata vitia* probo neque quid sibi Bothii velit emendatio *vitio* intelligo.

V, 17, 18.

Consulto involvit veritatem antiquitas,
ut sapiens intelligeret, erraret rudis.

De his versibus idem dici potest quod de epimythio carminis II.

X. Fabula de patrefamilias et Aesopo et inscriptionem pedestrem: *quomodo domanda sit ferox iuventus* et poëticum epimythium

Atrocitati mansuetudost remedium

habet. Vides quam parum probabilis sit coniectura Perottum pedestres inscriptiones finxisse ut praecepta moralia codicibus quibus uteretur tradita omittere posset.

XII, 7. Idem hic quod carmine X usu venit: idem praeceptum bis traditur, soluta oratione et versu senario; hunc ergo quin Perottus in codice quo utebatur invenerit nulla est dubitatio. Non videtur incredibile ipsum Phaedrum adiecisse ut fabulam ad suam ipsius sortem referret et hoc diceret: „equidem natura tanto praeditus ingenio pro nihilo habeor quoniam in homines incidi artis ignarissimos.''

XIII. Notissimam historiam neque invenuste a Phaedro narratam claudit versus:

Sic turpitudo laudis obsedit locum.

Habet certe aliquam hic versus epimythii similitudinem, iustum tamen epimythium vocari non potest. Quin ipse Phaedrus versum ceteroquin satis venustum adiecerit non dubito.

XVII, 7 sq.

Quodsi perfidiae se commisisset lupi,
parens dolori, fata deflesset sua.

Adduntur hi versus fabulae de Scrofa parturiente et lupo.

Quod si perfidiae se commisissit lupi
parens dolori, fata deflesset sua.

Abesse haud dubie poterant; minime tamen molesti sunt.

Idem de ultimo sequentis carminis versu

tali consiliost a fuga deterritus

statuendum censeo.

XX. Quid de huiusce exempli versu ultimo

ergo etiam stultis acuit ingenium fames

dicam nescio. In altero enim anthologiae Perottinae codice legitur, in altero non legitur; sed in utroque praemittitur pedestris inscriptio: *Famem acuere animantibus ingenium.*

XXVIII. Exemplo, nam fabulae nomen hic aptum non est, de fibro praemittitur praeceptum pedestre: *Multi viverent, si salutis gratia parvi facerent fortunas*; adiiciuntur tres versus:

Hoc si praestare possent homines ut suo
vellent carere tuti posthac viverent;
haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

Qui neque sunt invenusti, et ut tamen aliqua sit huius carminis ratio et consilium, abesse non possunt.

Res ergo eo redit ut videamus illa promythia et epimythia quae sola Anthologia Perrottina servata sunt facilem habere defensionem.

CAPUT V.

Cui plus licet quam par est plus vult quam licet.

Communis est virorum doctorum opinio Bentleium in Phaedro edendo talem se praestitisse qualem eum e libris de Phalaridis epistolis, ex epistola ad Millium, ex annotationibus ad Menandrum et Philemonem cognovimus, id est virum admirabili acumine ingenii simulque singulari pulchri verique sensu praeditum, qui nullum vitium sermonis sententiaeve inobservatum praeteriret, nihil suspectum haberet quod sanum sincerumque esset; cuius emendationes aut certae essent aut saltem lepidissime inventae. Ita certe de eius opera Phaedro adhibita censet iudex *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων* Lucianus Müller, qui in libello de Phaedri et Aviani fabulis p. 22 haec dicit:

> Horum (i. e. non solum Pithoei, Rigaltii, Gudii, sed etiam Nicolai Heinsii) conatibus caliginem induxit Richardus Bentleius, qui primum anno 1726 in appendice Terentii edidit Phaedrum, notis

criticis instructum, quae recensio aliquoties typis est repetita. Hic igitur vir, siquis alius metricae antiquae et Graecae et Latinae peritus, primus de arte versuum Phaedri recte iudicavit, nec minus alia multa in eodem scriptore primus apte constituit. Notandum tamen est eum non eadem assiduitate curae qua Terentium et Horatium pertractasse Phaedrum, sed cum quadam festinatione, ut etiam pedestribus fabularum enarrationibus parum uteretur. Qua causa evenit, ut minus sane, quam potuit, praestaret Phaedro. Praeterea, quod aliquanto peius est, insecuti aetate critici ut in Terentio et Horatio ita in Phaedro aut noluerunt aut nescierunt uti Bentleii inventis e. q. s.

Quibus verbis si fidem habeas, satis esse credas ad Phaedrum emendandum primum omnes Bentleii emendationes in textum recipere, deinde via ab eo monstrata pergere. Id autem si facerent viri docti mox editionem haberemus multo, me iudice, omnium pessimam et a Phaedri ingenio et arte quam longissime recedentem. Si enim fieri posset ut aliquis, cui Bentleii nomen prorsus ignotum esset, subito in eius ad Phaedrum annotationes incideret, summi viri sibi informaret imaginem veritati plane oppositam. Putaret enim eum fuisse magistellum aliquem pusilli animi, qui totum fere diem in corrigendis puerorum exercitationibus occupatus quum fuisset, quod temporis reliquum esset insumeret antiquis scriptoribus ad decantata quaedam grammaticae praecepta purgandis. Sunt quidem in eius emendatio-

nibus probabiles nonnullae suspiciones, quibus ille fere restituitur sensus quo opus est, plures etiam quibus metri vitium tollitur, sed suspiciones sunt, praeclarae emendationis nomine nulla earum digna est, ne illa quidem quam prae ceteris admirantur viri docti. Pertinet ea ad vs. 7, fab. 10, L. V, ubi pro

Cui senex contra latrans

legendum censuit Bentleius c. s. c. Lacon. Fieri potest ut sic scripserit Phaedrus, nihil constat. Quod si quis me roget quo argumento id dicam, facile ei satisfaciam. Ingens enim est numerus emendationum ad textum Phaedri purgandum a viris doctis propositarum, sed una est quae ceteris omnibus tam facile palmam praeripiat ut sola palmaris recte dici possit. Est Baehrensii, qui versum 15 epilogi L. II, ita traditum:

sin autem ab illis doctus occurrit labor

sic correxit:

sin autem rabulis doctus occurrit labor.

En emendationem Porsono aliquo dignam; hoc demum est rem acu tangere! Illi nullam earum, quibus alii viri docti Phaedri manum restituere conati sunt, parem habendam esse proloqui non vereor; non enim Phaedri lectores sedulos a me dissensuros puto. Neque solum haec causa est cur illam proferam et tam impense laudem, quod mihi tamquam normam praebeat de Bentleii coniecturis iudicandi, sed etiam quod egregie

ea uti possum ad sententiam quandam meam de universa arte critica defendendam. Quibus enim artibus tu putas, Lector, Baehrensium ad tam egregiam emendationem pervenisse? Accurata et solida, ut opinor, Latini sermonis scientia, mentis acumine singulari, longo et sedulo cum Latinis poëtis commercio. Haec enim qui habet, eum interdum fortuna iuvante invenire quaedam quae peritorum omnium moveant admirationem, consentaneum est et naturae legibus convenit. Idem tamen vir simulatque praeter proprium ingenium propriamque doctrinam alia omnia adhibet et ad arcanam illam e multis multorum codicum erroribus veram lectionem eruendi artem confugit, tam sui ipsius tamque omnis venustatis fit immemor ut lepidissimos versus Catulli

> Quare habe tibi quidquid hoc libelli,
> qualecumque; quod, o patrona virgo,
> plus uno maneat perenne saeclo

„facile omnium difficillimum locum" vocare et pro iis coniicere

> Quare, mel, tibi habe quidem hoc libelli;
> qualecumque quod est, patrona virgo,
> plus uno maneat perenne saeclo

non erubescat. Sed redeamus ad propositum.

„De mortuis nil nisi bene dicendum esse", proverbium est magis notum quam verum. Quidquid dicis, sive de mortuis sive de vivis, si verum est probandum est, dummodo absit livor et arrogantia. Neque quid-

quam de magnorum virorum gloria detrahitur, si eos demonstras in uno scribendo libro parum felices fuisse vel parum sedulos. Quodsi quis in aequali, quem merito suspiciunt omnes, refutando honestatis sermonisque decus neglexit, reprehendendus est sed tamen audiendus. Non hoc observasse videntur Bentleii admiratores: aequo enim magis neglecta iacet iacuitque epistola critica quam de Bentleii in Phaedro emendationibus Harius scripsit (legitur ea in Burmanni editione L. B. 1727). Fuerit Harius homo maledicus, fuerit lividus et alienorum inventorum acerbissimus obtrectator, at doctus fuit et idoneus iudex. Certe quae Bentleio obiicit pleraque omnia vera sunt et acuminis non spernendi indicia. Cui enim nostrum taedium non movent huiuscemodi Bentleii annotationes in infinitum repetitae:

ad I, 10, 5.

Negabat illa se esse culpae proximam.

„Excidit vox, quae reponenda est,

Negabat illa se esse culpae *huic* proximam."

ad I, 10, 8.

Dixisse fertur simius sententiam.

„Iterum eandem vocem repone,

Dixisse *hanc* fertur simius sententiam."

ad I, 18, 6 sq.

Minime, inquit, illo posse confido loco
malum finiri, quo conceptumst initio.

„Melior est alterius codicis lectio

Minime, inquit illa, posse confido hoc loco

Illa mulier *inquit*; alioqui *vir* potius intelligeretur, constructione, si non sensu."

ad II, 1, 1 sq.

Super iuvencum stabat deiectum leo;
praeedator intervenit partem postulans.

„Insere *ut*: Iuvencum *ut* stabat."

ad II, 2, 1 sq.

A feminis utcunque spoliari viros,
ament, amentur, nempe exemplo discimus.

„Repone: ament, amentur, nempe exemplo *hoc* discimus."

ad III, 4, 1 sqq.

Pendere ad lanium quidam vidit simium
inter reliquas merces atque obsonia;
quaesivit, quidnam saperet.

„Iterum excidit *ut* solemni librariorum errore,

pendere ad lanium quidam *ut* vidit simium."

ad III, 5, 2 sq.

Aesopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior.

„Rursus hiat oratio, fatali quasi errore. Repone:

Aesopo ut quidam petulans lapidem impegerat.

Inquit, hoc est, Dixit *Aesopus*. Nescias alioquin ex constructione uter hoc dixerit, Aesopus an Petulans."

ad III, 12, 2.

In sterquilino gallus gallinaceus
dum quaerit escam margaritam repperit.
Iaces indigno, quanta res, inquit, loco!

„Laxa haec et hiantia sic connecte:

dum quaerit escam, margaritam ut repperit,
iaces indigno etc."

ad III, 13, 1 sq.

Apes in alta fecerant quercu favos:
hos fuci inertes esse dicebant suos.

„Codices, fide Gudii, *Fecerunt*. Repone,

apes in alta quercu *ut* fecerunt favos."

ad III, 16, 6.

Rogatast ut taceret. Multo validius
clamare coepit.

„Repone, quod hiulca ista connectat

Rogata *uti* taceret, multo validius
clamare coepit."

ad IV, 1, 6 sq.

Is cum labore et plagis esset mortuus,
detracta pelle sibi fecerunt tympana.

„Repone

Huic, cum labore et plagis esset mortuus
Detracta pelle."

ad IV, 5, 29. Aesopus media subito in turba constitit: „Repone *ut* (constitit) quod fere semper omiserunt librarii."

ad IV, 12, 6

causam quaesivit pater.
Odi, inquit, illum.

„Insere *ut* quod librarii toties omiserunt;

causam *ut* quaesivit pater; odi inquit illum."

ad IV, 10, 26.

Reclamant omnes vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante poenam Iuppiter.

„Lege *ut clamant*"

ad IV, 23, 10.

quam tempestas horrida
simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt.

„Repone, quod toties omiserunt

simul et vetustas, medio *ut* dissolvit mari."

ad V, 1, 2.

Demetrius, qui dictus est Phalereus
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruit
„Feliciter" succlamans.

„Repone Athenas *cum* occupavit."
ad V, 5, 22.

> Hoc vidit fieri rusticus. Non me hercules
> me vincet, inquit.

„Recte iam Heinsius: Hoc videt ut fieri."
ad V, 10, 3.

> Canis cum domino semper fecisset satis,
> languere coepit annis ingravantibus.
> Aliquando obiectus hispidi pugnae suis
> arripuit aurem.

„Repone

> Languere *ut* coepit annis ingravantibus."

Nonne ista si quis legeret qui scriptorem ignoraret annotationes esse putaret hominis ad pueros docendos magis quam ad antiquos scriptores edendos apti; qui poëtam ad certas quasdam artis grammaticae leges exigere mallet quam poëtae usum ab ipso poëta discere? Quid enim facilius fuit quam ipsis illis versibus quos attuli, quosque frustra a Bentleio tentatos esse nemo iam negat, uti ad demonstrandum *τὸ ἀσύνδετον* et subitas ab alio ad aliud subiectum transitiones a Phaedro esse adhibita ad orationem exornandam? Quod qui semel observavit non potest quin videat sentiatque haud invenustos illos esse flosculos.

Quod autem Bentleio obiicit Harius prudentem eum aliis sua surripuisse inventa, de ea re quae neque probari iam potest neque refutari satius est tacere.

Sed de tertio crimine ab Hario contra Bentleium prolato tacere neque volo neque possum. Saepe enim aequales Bentleium eo nomine deriserunt et contempserunt quod in arte critica exercenda lexicis uteretur et indicibus; saepe etiam multi eorum id ei palam vitio dederunt neque semper in ea re urbani fuerunt. Acerbissimum vero est et iniquissimum iudicium quod de eo vir quidam vix nomine notus (Antonius Alsop in praefatione ad fabularum Aesopiarum delectum) fert: „*quendam Bentleium in volvendis Lexicis satis diligentem.*" Eo autem argumento et Harius usus est ad adversarium suum perstringendum, neque me iudice iniuria. Nam et indicum lexicorumque ope emendationes suas Phaedrianas Bentleius fecit, et ea re saepe a recta criticae artis via plane aberravit. Quod quo consilio dicam explicare conabor.

Criticum quum semper cautum circumspectumque esse oporteat, tum in poëta edendo vel maxime illis virtutibus ei opus est. Hoc enim labore qui fungitur nihil suspectum habeat nisi quod aut metri vitio laboret aut plane sensu cassum sit; quodsi qui versus intelligi et aliquo modo probari possit, quamvis a quotidiano sermonis usu recedat, tamen abstinere manus satius est quam quidquam mutare, praesertim quum ad id quod vitiosum videtur sanandum paulo violentiore medela opus sit. Difficillimum enim est dicere quid poëtae liceat quid non liceat; ad severas leges eius sermonem redigere velle ineptum est. Quod qui non semper ante oculos habet, ei nullus non versus suspectus videri

potest, sed semper et ubique parata est reprehensio atque calumnia. Deinde quum non facile sit pro ipsius poëtae verbis aliquid reperire quod melius sit, accuratius, elegantius, periculum est ne editor paulo calidior incautiorque insano quodam ingenii ostentandi capiatur studio, et pro ingeniosis emendationibus lectori commenta proponat vana, captiosa, inutilia. Gravius etiam illud est quod qui eo consilio poëtam legit ut quam maximam proferre possit emendationum copiam nullam ex poëtae arte capere potest voluptatem; qui vero illius rationis — an insaniae dicam — vel minimam in poëta adolescentibus explicando partem adhibet, ille verendum est ne totum literarum studium gravissimo afficiat detrimento; huic enim quid perniciosius quam generosae iuventutis odium et contemptus? Et quis non adolescens istam abominatur doctrinam cui ἀπειροκαλία iuncta sit? Poëtam amare, diligere, admirari discant adolescentes potius quam cum pulvisculo excutere. Sed nullum commentum tam falsum est tamque futile quin lexicorum ope defendi possit. Saepe in memoriam iucundissimi temporis redeo, quo et ipse et amici Cobeto praeceptore utebamur; is enim lege iubente cuique nostrum honorem Academicum petenti locum aliquem proponebat quem domi vitio purgare conaretur. Moris autem tum erat amicos omnes de eo secum deliberare ut laboranti opem ferre possent. Primum ergo Novas Variasque Lectiones inspiciebamus: haud enim raro accidebat ut summus vir, tam suorum quam alienorum inventorum immemor, locum discipulo emendandum

proponeret quem ipse ante multos annos felicissime persanasset. Si nihil in Lectionibus opis erat proprio erat ingenio utendum: conveniebamus ergo quaerebamusque. Nonnunquam unus e nobis statim rem acu tangebat, sed multo saepius accidebat ut omnes frustra caput scalperemus. In summa ergo rerum desperatione quam accuratissime locum propositum perlegebamus, i. e. sub unoquoque verbo aliquid vitii latere suspicabamur. Quum de corruptelae sede inter nos constabat, ea utebamur ratione qua fieri non potest quin multae simul nascantur coniecturae, quarum alia solet esse absurda, alia paulo absurdior: vocabulum enim suspectum literis describebamus uncialibus, ita cetera omnia vocabula ei fiebant similia. Quum inventum erat quod satis placeret omnibus, de solida nocte haud parvam partem vino gaudioque dabamus. Postridie qui primus vinulum edormitasset ad Bibliothecam currebat et ab illo libro, quem postea aut nunquam aut rarissime inspecturus erat, auxilium petebat, Stephani thesaurum dico, ex eoque excerpebat quidquid in rem praesentem faceret; praedaque ad amicum iam instantis periculi metu sollicitum allata de vespertino illo vel nocturno invento brevis conscribebatur commentatio. Illam deinde Cobeto recitabat candidatus, in qua Herodoti puta vel Thucydidis locus ita emendaretur scilicet ut testes afferrentur Novum Testamentum, Lycophronis Alexandra, Eunapius. Nihil tum iucundius erat quam Cobetum audire ridentem iocantemque. Magnum autem Bentleium in Phaedro emendando saepe eadem usum esse ratione ad

quam nos iuvenes imperitos compellerent ingenii inopia temporisque angustiae mira quidem res est sed vera. Haud raro enim locos ita a Bentleio emendatos esse demonstrat Harius ut argumenta e lexico peteret; cuius rei hoc affert certum indicium quod loci a Bentleio ad defendendam emendationem allati eodem ordine apud Bentleium et in Stephani thesauro legantur. Iam haec cum lexicis coniuratio si in aliqua emendatione deprehenditur non est amplius quaerendum: convicta erroris est et condemnata. Vera enim et certa emendatio non eget lexicorum indicumve subsidio: simul nascitur in critici mente et secum memoriam evocat unius duorumve locorum quibus illustratur magis quam defenditur. Quum enim omnis virtus tum emendationis veritas semet ipsa nullo patrono egregie tuetur. Tam saepe autem in vitium quod modo indicavi incidisse Bentleium Harius demonstrat ut qui plura de illo crimine cognoscere velit ei ipsa sit Harii epistola inspicienda. Sed unum exemplum ab Hario prolatum hic citabo quo melius etiam aequales nostri videant quam sit arti criticae funestus lexicorum usus. Phaedri versum

fatale exitium corde durato feram

sic emendat Bentleius

fatale eventum corde durato feram

et ad emendationem suam probandam affert e Cicerone de Har. Resp. C. IV: „P. ille Scipio, qui Carthaginem, quasi fatali eventu, solus evertit." Si, id quod unice

philologo dignum est, e memoria hunc locum citasset Bentleius, vel saltem ex ipso Cicerone, non e Stephani thesauro eum petivisset, ipse vidisset eum nihil ad Phaedri versum facere. Rectissime enim Harius observat: „Hic de maxima re agitur, et tamen Cicero non dixit *fatali eventu* absolute, sed *quasi fatali eventu*, id est quasi ita fatorum legibus statutum esset. Praeterea *eventus* et *eventum* non prorsus idem sunt, cum *eventum* sit ipsa res quae evenit, *eventus* autem rei, quae evenit, exitus. Vides quam parum hic Ciceronis locus ad Phaedrum faciat, et quam temere suam interpolationem pro ipsissima Phaedri manu vir doctissimus reponat."

Ita autem quum res se habeat non est mirandum ipsum Lucianum Müller, qui Bentleii operam Phaedro adhibitam tam laudet, paucas tamen eius emendationes in textum recepisse. Quid quod, me saltem iudice, prudentissimus ille doctissimusque censor inter paucas illas unam alteramque admisit quae minime certa sit.

III, 15, 5.

Dein portat onus ignotum certis mensibus

Bentleius pro *ignotum* legi iubet *ingratum*, dictoque audiens ei Müllerus est. Certe venustius *ingratum* quam *ignotum*; sed tota fabula omnis venustatis expers est. Quidni eius poëtam idem fere dicere credamus quod Xenophon, scriptor minime ineptus dicit (Mem. II, 2, 5): *ἡ δὲ γυνὴ ὑποδεξαμένη τε φέρει τὸ φορτίον τοῦτο, βαρυνομένη τε καὶ κινδυνεύουσα περὶ τοῦ βίου καὶ μεταδι-*

δοῦσα τῆς τροφῆς ἣ καὶ αὐτὴ τρέφεται, καὶ σὺν πολλῷ πόνῳ διενεγκοῦσα καὶ τεκοῦσα τρέφει τε καὶ ἐπιμελεῖται, οὔτε προπεπονθυῖα οὐδὲν ἀγαθὸν οὔτε γιγνῶσκον τὸ βρέφος ὑφ' ὅτου εὖ πάσχει οὐδὲ σημαίνειν δυνάμενον ὅτου δεῖται.

III, 18, 3.

Pavo ad Iunonem venit indigne ferens
cantus luscinii quod sibi non tribuerit;
illum esse cunctis auribus admirabilem,
se derideri simul ac vocem miserit.

Bentleio auctore Müllerus edidit *avibus* pro *auribus*. Sed non solum aves lusciniam admirantur, verum, id quod pavoni multo esse molestius debet, homines etiam; et perit Bentleii lectione ea pars sententiae quae minime abesse potest. Nam et pavonem admiramur et lusciniam. Sed hanc propter cantum, illum propter plumarum colores. Nihil ergo versui

se derideri simul ac vocem miserit

melius opponi potest quam vulgata lectio

illum esse cunctis auribus admirabilem

in eaque acquiescendum puto, quamquam sic versum habemus multo duriorem quam ille est quem Bentleius proposuit.

IV, 7, 3.

Tu qui, nasute, scripta destringis mea,
et hoc iocorum legere fastidis genus,
parva libellum sustine patientia.

Bentleius *labellum* pro *libellum* coniecit quod Müllerus probat; sed neque vetus lectio *parva libellum sustine patientia* absurda est (an forte prorsus illud ferri non potest hoc sensu: „noli libellum meum statim cum contemptu e manibus abiicere"?) et *labellum sustinere* locutio est quae num unquam in usu fuerit dubitare licet. An quod apud Persium legitur:

atque exporrecto trutinantur verba labello

et apud Iuvenalem

hoc quoque si rugam trahit, extenditque labellum

argumento esse potest etiam *sustinere labellum* unquam a Romanis dictum esse, ne eo sensu dictum esse dicam quo vult Bentleius? Nonne recte hoc argumentum Bentleio opponit Harius, et illud etiam rectius: „praeterea, quaenam hinc exsurgit sententia? Omitte paulisper *fastidium* et *severitatem*, dum *fastidium* et *severitatem placo*. Sequitur enim

Severitatem frontis dum placo tuae.

Quanto concinnius rogatur Lector, ne *libellum* statim abiiciat, sed paulisper ferat, dum paucos versiculos legat, quos sperat eum placaturos"?

IV, 26, 4—10.

Simonides idem ille, de quo rettuli,
victori laudem cuidam pyctae ut scriberet,
certo conductus pretio secretum petit.
Exigua cum frenaret materia impetum,

usus poëtae moris est licentia
atque interposuit gemina Ledae pignora,
auctoritatem similis referens gloriae.

Vs. 8. Bentleius probat Rittershusii emendationem *poëta* pro *poëtae*. Sed quam frigide post *Simonides idem ille de quo rettuli* subiectum nudo isto vocabulo *poëta* repetitur. Et quidni in narratione vel sic plena sermonis macularum dicere potuit Phaedrus *poëtae moris licentia* pro *licentia poëtis usitata*?

Sed manum de tabula! Unum hoc addo ne quis me ridicule arrogantem clamet qui philologorum principem vituperare non verear, fere neminem esse posse cui de Bentleio iudicium ferre liceat, ad Phaedrum autem emendationes eius pensitare cuiusvis esse. Praeterea quum in hunc libellum colligere vellem quidquid mihi post longum strenuumque in Phaedro positum laborem natum esset opinionum, quae a communi virorum doctorum sententia ita differrent ut haud inutile videretur eas publici iuris facere, non potui quod mihi de Bentleii emendationibus informaram iudicium silentio premere.

CAPUT VI.

tetegisse timent fugiuntque poëtam qui sapiunt.

Neque Bentleius solus mihi a recta Phaedri emendandi ratione aberrasse videtur sed interdum et alii viri docti, tam ante quam post eum. Quod enim illi non semper observasse videntur id mihi hac in re pro fundamento esse oportere persuasissimum est. Quid autem illud est? Paucis dicam verbis.

Phaedrus licet unam alteramque fabulam sat venustis versibus elegantique sermone narrarit, tamen multo saepius eiusmodi commisit errores, qui in poëta iure meritoque graviter ferri soleant. Haud raro enim quod dicendum erat enuntiare non potuit, sed multo labore et sudore protulit aliquid quod tam esset ineptum obscurumve ut vix ullus e verbis eius sensus extorqueri possit; saepius etiam *πρὸς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ* aliquod inseruit vocabulum a loci sententia alienum. Dabo pauca exempla.

In narratione de Scurra et Rustico (V, 5) hi leguntur versus (29—33):

Tum simulans sese vestimentis rusticus
porcellum obtegere (quod faciebat scilicet,
sed, in priore quia nil compererant, latens)
pervellit aurem vero quem celaverat
et cum dolore vocem naturae exprimit.

Qui autem rusticus *revera* porcellum obtegens, se *obtegere simulare* potuit? Non ergo *obtegere* se simulabat sed *simulare* se simulabat, atque eiusmodi aliquid Phaedrus dicere voluit, sed non potuit.

I, 4, 7.

Et quem ferebat ore demisit cibum,
nec quem petebat potuit adeo attingere.

Quid sibi vult *adeo?* Versum hiantem supplet, nil praeterea. Quoquo ergo te vertis inepte illo vocabulo oneratur sententia, neque quidquam proficimus Harii coniectura

nec, quem petebat adeo, potuit tangere.

I. 21. Leonis morientis ad asinum haec verba sunt:

te naturae dedecus
quod ferre cogor certe bis videor mori.

Quocunque sensu adverbium *certe* accipitur, metro salutem affert, sententiae damnum.

II, 8, 11.

Frondem bubulcus affert, nil ideo videt.

Non addidisset istud *ideo* Phaedrus nisi metrum coëgisset. Vide sequentia:

Eunt subinde et redeunt omnes rustici.
Nemo animadvertit.

Vitia autem ab ipso poëta commissa nemo tam felix est criticus ut probabiliter corrigere possit. Nisi enim pro malo versu ipse novum faciat fieri non potest quin vitium vitio expellat. Atque hoc saepius in Phaedro usu venisse iam demonstrabo.

I, 1, 3. Superior stabat lupus,
longeque inferior agnus.

Ad hunc versum Nauckius... sed quae sint illa Nauckii studia Phaedriana praemonendum videtur. Occupato ergo mihi in hac commentatione scribenda nuntius affertur summum illum Petropolensem philologum, tam egregie de literis Graecis meritum, de Phaedro satis amplam dissertationem Academiae Petropolensis actis inseruisse. Omnem me lapidem movisse ut illam mihi pararem quis non intelligit? Tandem mihi eius copia facta laetus domum curro librumque curiose pervolvo. Video autem Nauckium licet hic illic prudenter aliquid observarit tamen nihil attulisse quod magni esset pretii.

Quod aequo animo ferrem — ineptus enim essem si

non intelligerem ne Nauckium quidem semper aliquid proferre posse quod sit praeclarum — nisi simul vidissem summum virum ea occasione abusum esse ad acriter et inique Lucianum Müller reprehendendum. Quae enim causa excogitari potest cur philologorum quisquam graviter Müllero irascatur? An quod ille in refellendis adversariis non semper fuit urbanus, sed saepe iusto acerbior? At ea causa erat cur alius ab eodem vitio deterreretur honestatisque et decoris admoneretur. Et nonne unum illud vitium multis et praeclarissimis compensatur virtutibus? Nonne omnes qui poëtas Latinos amemus singulari nos affici beneficio putamus quum illorum aliquem Müllerus in lucem edit? Quis enim illo magis sobrio sanoque iudicio ex aliorum coniecturis ad textum emendandum eas adhibet quae certae sint probaeque? Nonne ipse permulta invenire solet quibus nova lux poëtis affulgeat? Denique quis magis illo idoneus de poësi Latina iudex, qui ipse tanto artificio poëtas Latinos imitetur? Et quid tandem est quod tamquam grave crimen Müllero obiiciat Nauckius? Quod in rebus orthographicis interdum sibi parum constitit et errores quosdam typographicos non animadvertit. Hoc illud est quod totam philologiam in omnium quibus venustas et humanitas cordi sunt adducit contemptionem, hoc Nauckio indignum sed dignum magistellis istis, qui diaria philologica, quorum nimis magnus iam numerus est, ineptis suis et acerbis implent convitiis. Sed ad propositum redeamus.

Ad versum ergo 3 fabulae 1 Libri I Nauckins ob-

servat non potuisse admodum magnum esse spatium inter lupum agnumque, quoniam colloquentes inducantur. Nihili hoc videtur crimen: possis enim eodem iure verba *siti compulsi* improbare, quod qui siti compulsi ad rivum veniant bibant sitique expleta abeant, non disputent. Gravius hoc quod nihil attineat quod fuerit spatium, satis esse si sciamus agnum inferiorem stetisse, superiorem lupum. Coniicit ergo Nauckius *aliquanto inferior agnus*; sed nihil ea coniectura proficimus; nam haud dubie elegantius fuisset nuda vocabula *superior* et *inferior* inter se opponere (lupus superior stabat, agnus inferior); quidquid alterutri comparativo addis pars elegantiae perit. Quamquam parata hic fortasse est Phaedro defensio, credo enim eum non ad explendum metrum illud *longe* addidisse sed quo magis appareret quam iniustum lupi esset crimen.

I, 2, 13—17.

> Pater deorum risit, atque illis dedit
> parvum tigillum, missum quod subito vadi
> motu sonoque terruit pavidum genus.
> Hoc mersum limo cum iaceret diutius,
> forte una tacite profert e stagno caput.

Haud diffiteor diu me hunc locum non intellexisse. Non quod non viderem quid hic requireretur; eam enim fere exspectabam narrationem, qua Iupiter id fecisse diceretur quod pueri faciunt qui ranis metum incutere velint, ut lignum *in mediam* coniiceret *aquam*, cuius (i. e. aquae) motu sonoque territae ranae profun-

dum peterent et in limo delitescerent. Sed nullo modo eam narrationem e Phaedri verbis extrahere poteram: videbam enim apud illum limo immersum *lignum*, non *ranas*; verba ergo eius ita accipienda putabam ut Iupiter diceretur lignum *in ripam* paludis coniecisse, genitivumque *vadi* cum substantivo *genus* iungebam. Neque tamen fugiebat me quam contorta ea esset explicatio. Laetus lubensque ergo Bentleii arripiebam emendationem

immersae limo quum iacerent diutius

qua omnis tolli molestia videretur. Sed re accurate perpensa nulla emendatione opus esse videbam: quem enim sensum Bentleius restituit is iam apud Phaedrum legitur, qui satis inepte hic pronomine *hoc* usus est, quod fieri vix potest quin lector ad substantivum *tigillum* referendum putet. Non ergo librarii sed ipsius Phaedri errorem correxit Bentleius, neque eius emendationi quidquam est subsidii in Anonymi Nilantiani verbis; *mersae limo quum laterent diutius*. Is enim semper quod a poëta paulo obscurius pauloque ornatius dictum est quam simplicissime enuntiat. Dabo pauca exempla quae cum hac causa aliquam habent affinitatem.

	Phaedi.	Nilant.
I, 3, 10.	redire moerens coepit.	rediit moerens.
I, 2, 12.	qui dissolutos mores compesceret.	qui mores eorum compesceret.
I. 1, 3.	tum fauce improba latro incitatus iurgii causam intulit.	fauce improba latro incitatus iurgio dixit.

I, 10, 5. negabat illa se esse culpae proximam.	haec negabat se non (sic!) esse ream.
I, 9, 8. lepus semianimus: mortis en solatium! (sic Sanadon pro *in* solatium).	Et aquila: solatium.

Sed, ut iam ex ultimo apparet exemplo non dignus iste est homuncio, qui audiatur, qui *aquilae* tribuat verba: mortis en solatium. Quid vero illo stipite facias qui hanc fabulam sic narrare incipiat: *oppressam aquilam et fletus dantem lepus obiurgabat passerem.* Incertum autem est utrum ipse compilator istiusmodi ineptias scripserit an etiam nactus sit qui ipsum describeret et novis commacularet vitiis.

Venio nunc ad emendationem saepe laudatam neque, me iudice, laude indignam, minime tamen probabilem nedum necessariam. Fabula I, 5 leo praedae partibus factis sic socios alloquitur:

ego primam tollo nominor quoniam leo,
secundam, quia sum *fortis*, tribuetis mihi,
tum quia plus valeo me sequetur tertia,
malo afficietur si quis quartam tetigerit.

Pro *fortis* autem Withofius coniecit *socius*: ingeniosa sane coniectura et plena venustatis, nam leonem non omittere argumentum unicum quod iure afferre possit consentaneum est; minus recte, certe minus eleganter istud „quia sum fortis" excipit „tum quia plus valeo", quod fere idem est. Tamen re bene explorata vix

credo Phaedrum id scripsisse quod vult Withofius, cuius sententiae non hoc afferam argumentum quod anonymus Wissemburgensis, qui fere ipsum Phaedrum nobis servavit turbatis tantummodo numeris [1]) habeat: „quia fortior sum vobis", dummodo ne adversarius contra me auctore utatur Babrio, apud quem secundum leonis argumentum est *ὡς ἐξ ἴσου κοινωνός*. Babrius enim quanto fuerit Phaedro ingenio superior vel ex una hac fabula disci potest; neque enim vaccam, capellam, ovem leonis facit socios sed naturae convenientur *ὄναγρον* [2]) et ita leonem inducit iniuriam defendentem ut primum dicat *βασιλεὺς γάρ εἰμι*, deinde *ὡς ἐξ ἴσου κοινωνός*, tertio *ἡ τρίτη δ' αὕτη κακόν τι δώσει μὴ θέλοντί σοι φεύγειν*. Lepidissime hic mutatis verbis ter idem dicit leo; quid vero noster loco Babriani *βασιλεὺς γάρ εἰμι*? *Nominor quoniam leo*; quod quid sibi velit et quomodo argumenti speciem habere possit non facile dicas. Quidni ergo et hoc credamus Phaedrum et ipsum saepius (quater) idem dicentem inducere leonem voluisse, id autem prae ingenii inopia non potuisse?

I, 28. In fabula de vulpe et aquila haec leguntur:

> Vulpes ab ara rapuit ardentem facem
> totamque flammis arborem circumdedit,
> hosti dolorem damno miscens sanguinis.

Vulgatam lectionem *hosti dolorem damno miscens*

---

1) Cf. Ludovici Trossii epistola ad Julium Fleutelot Hammone 1844.

2) De hac fabula videatur Lessingius.

sanguinis haud male Harius explicat ita ut *miscens* dictum censeat pro *parans* neque inepte ad sententiam suam defendendam affert antiquae tragoediae versum qui in Ciceronis legitur Tusculanis: *maior mihi moles, maius miscendum malum* [1]). At enim, dixeris, quanto elegantius Bentleianum

Proprii dolorem damno ulciscens sanguinis.

Non ita multo mihi haec coniectura vulgatae lectioni praestare videtur. Quid enim dicendum fuerit Phaedro ut consilium vulpis recte et fabulae convenienter significaretur videmus omnes: *suae* enim prolis damno *hosti* dolorem parare vult; opus ergo est in uno versu *pronomen possessivum* et vocabulum *hostem* inter se opponi, sed utrumque neque habet vulgata lectio, neque quocunque modo eum mutaveris habebit. Satius ergo est intactum relinquere quod persanare non possis.

IV. prol. 18—20.

Mihi parta laus est quod tu quod similes tui
vestras in chartas verba transfertis mea
dignumque longa iudicatis memoria.

---

1) Miror Harium attulisse tantummodo hunc versum, ne verbum quidem addidisse, quo factum est ut epistolae criticae lector nesciat multo maiorem esse huius argumenti vim quam ipse Harius siguificaverit. Est enim versus e tragoedia in qua inimicus inimico crudelissimam poenam macbinans inducitur: Atreus est qui sic loquitur:

maior mihi moles, maius miscendumst malum
qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Pro secundo versu Nauckius legendum censet

vestras in capsas chartas transfertis meas.

Sed et *κακοφωνότατον* est istud *capsas chartas* et remanet eadem difficultas quae est in vulgata lectione. Molestias enim nullum parit vocabulum praeter *transfertis*; recepta autem Nauckii coniectura censendus esset Particulo Phaedri fabularum exemplar alii cuidam Phaedri amico *surripuisse* (quo enim alio modo accipi posset libros in capsas suas *transferre*?); sin in vulgata lectione acquiescimus Particulo dicitur in aliquo libello vel epistola interdum Phaedri sententiam aliquam citasse. Utrum facilius sit ad credendum non opus est dicere.

IV, 6, 1.

Cum victi mures mustelarum exercitu
fugerent et artos circum trepidarent cavos,
aegre recepti tamen evaserunt necem.

Sive retines *exercitu* sive cum Bentleio legis *exercitum*, ineptissimus est versus primus. Animo enim tibi finge, lector, mures victos a mustelis nimirum. Necesse est ergo eos revera congressos esse et proelium commississe. Nunquam vidi iniquius certationem comparatam; exanimes enim semianimesque mures quomodo *fugere* immo *evadere* potuerint non video. Sed initium non est ineptius quam reliqua fabula, quam sic narrari oportuit: mures, ut mustelis resistere possent, aciem ordinesque facere et paucorum ducum parere

imperio decreverunt. Qui ad illum honorem creantur laeti fastusque pleni assumunt insignia: cornibus enim caput exornant. Prodeunt mures denso ad certamen agmine sed simulatque hostem aspiciunt in fugam se coniiciunt; ceteri elabuntur, duces retinentur cornibus suis capiunturque. Phaedri ergo fabulam qui sibi emendare videntur *exercitum* legendo pro *exercitu*, non dissimiles sunt viro illi capitis damnato, qui quum ad supplicium duceretur in itinere suppliciter rogabat ut sibi reduviem curare liceret ne ea diutius vexaretur.

His ergo ita expositis restat ut raptim Phaedrum percurram et ad varios eius versus varias meas observationes proferam. Si quid in iis lector latere bonae frugis putarit, quae ille improbabit ego non pertinaciter defendam.

I, 1, 11 sq.

Respondit agnus: equidem natus non eram,
Pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi.

Claudicantem vs. 12 persanasse videtur Langenus inserendo *ibi* ante *inquit*. Sed neque admodum venustus ita nascitur senarius et sententia istud adverbium respuit. Ut cum praecedentibus bene hic versus cohaereat opus est coniunctione *tum*, *ergo*, *igitur* aliave ex eo genere.

I, 9. ssq.

Oppressum ab aquila, fletus et dantem graves
leporem obiurgabat passer.

Ita Müllerus legendum censet; sed multo mihi praestare videtur Pithoei coniectura *fletus edentem*, quia neque coniunctione *et* opus est (participio enim *edentem* rationis reddendae causa additum est participium *oppressum*) et multo facilius *fletus edentem* corrumpi potuit in *fletussedens* quod codex P. e coniectura habet.

I, 12, 1 sq.

> Laudatis utiliora, quae contempseris,
> saepe inveniri, haec erit narratio.

Ita in codice P. est; pro *haec erit* Pithoeus dedit *haec exerit;* Bentleius vero metro multo venustiori *testis haec.* Veritati propior mihi Pithoei emendatio videtur; scriptum enim olim pro *erit* fuisse credo *asserit*, quod verbum Phaedri lectoribus imitatoribusque admodum placuisse ex uno loco lucide apparet. Vs. enim 7 fab. 10 L. III

> Sed fabulosam ne vetustatem eleves

in cod. V. legitur

> Sed fabulosam ne vetustatem asseras.

Versum caesura carentem in promythio aequo animo fero.

I, 13, 1 sq.

> Qui se laudari gaudet verbis subdolis
> sera dat poenas turpis poenitentia.

In vs. 2 magnopere variant codices. Danielis enim charta habet

> sera dant poenas turpi paenitentia

P. R. habent

fere dat poenas turpi poenitentia.

Suspicor poëtam dedisse

Serae dat poenas turpes Poenitentiae.

Metonymiae enim figura satis ipsi Phaedro accepta inepte abutuntur promythiorum epimythiorumque fabri.

I, 14. Scire pervelim qualis antiqua fuerit narratio e qua ineptissimam hanc corrumpendo fecit Phaedrus. Cuius vitia omnia enumerare vix posssum, sed duo tamen indicabo. Ubi terrarum, quaeso, unquam ille potuit esse quaestus ad quem confugit inopia depertitus sutor? An forte tantus ignoto illo loco fuit certi cuiusdam veneni usus, ut qui eius antidoton venderet famam sibi acquirere posset? Sed inepta ratione victus quaerendi quam sutor invenit ineptior etiam dolus est quo ad eum convincendum utitur rex. Si sutorem ita allocutus esset: „en venenum, ebibe! tibi nocere non potest; paratum enim habes, ut perhibes, antidotum" sani hominis esset usus consilio et oratione. Nunc omnia perverse fiunt. Simulat enim se toxicum antidoto miscere mixtumque illud simulatum medicum ebibere iubet. Non ita, ut opinor, antidoti quae vis sit explorari solet. Recusare ergo regis conditionem poterat sutor sine ullo famae suae periculo. Deinde, aut iam usus erat civium aliquis antidoto: tum autem Regis non opus erat calliditate: miser enim ille iam morte sua falsarium convicerat; aut nemodum eo erat usus: unde

ergo sutoris fama? Et quam susque deque omnia sunt habita in duobus his versiculus:

> Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
> miscere antidoto sese illius toxicum.

Sed piget cetera persequi. Pauca ideo tamtummodo indicavi vitia ut appareret operam perdere qui fabulam emendare conentur. Operam ergo perdidit Bentleius pro *deperditus* legendo *proterritus*, neque minus Nauckius, qui pro *verbosis* coniecit *ventosis*. Quod autem vs. 14 pro

> Quantae putatis esse vos dementiae

legendum Nauckius censet

> Quantae necessest esse vos dementiae

eam emendationem ne in minus inepto quidem carmine probarem, quoniam quod traditum est egregium praebet sensum. E verbo enim *putatis* apparet regem hoc dicere: „capita vostra committitis ei cui alii ne pedes quidem calceandos commiserint: ergo coniicite ipsi quam sitis dementes."

I, 16, 9.

> Satiatur ipsa et torquet convivam fame.

Perite vocem *et* defendit Harius his verbis: „dicere voluit Phaedrus duplicem ciconiam voluptatem ex hac re cepisse, quod et ipsa satiaretur et vulpes interea graviter esuriret." Eleganter idem pro *fame* coniecit *fames*.

Lib. II. prol. 1. Sanum hunc versum non esse Harius Bentleio assentitur, ideoque suppleto versu sic fere legendum censet:

Exemplis continetur Aesopi genus
mortale ne quid peccet imprudentia;
nec per fabellas e. q. s.

Apta sic nascitur eleganterque enuntiata sententia Sed nimis longe petita mihi videtur medicina Harius uti nimisque obstinate nomen Aesopi in vs. 1 retinere, cui illic nullum locum esse quis Bentleio non libenter assentitur? Versibus enim poëta de fabulis in universum loquitur, vs. 7 demum ad Aesopum venit.

9—12.

Equidem omni cura morem servabo senis;
sed si libuerit aliquid interponere
dictorum sensus ut delectet varietas,
bonas in partes, lector, accipias velim,
ita si rependet illam brevitas gratiam.

Non opus esse opinor Bentleii coniectura *diversum* pro *dictorum* nam illud adiectivum iam in verbo *interponere* latet; qui enim hoc dicit: „Aesopi exemplum sequar, sed si libuerit aliquid interponere ut varietas delectet e. q. s." nonne is dicit se *diversi* aliquid interpositurum? Neque tamen *dictorum* probo quod pro *libellorum*, *fabularum* dici posse non credo, et aegre desidero aliquem genitivum, quo significentur *homines* quorum sensus delectaturus est poëta. Quid si pro *dic-*

torum legamus *doctorum*? Saepe enim significat poëta se tantummodo quaerere quid eruditi censeant, indoctorum iudicium se minime curare. Est et alius in hoc libro versus quo poëta fere idem dicit sed ille quoque mihi leni quadam medela egere videtur. Legitur enim in epilogo 12—14.

Si nostrum studium ad aures cultas pervenit
et arte fictas animus sentit fabulas
omnem querelam submovet felicitas.

Nimis exile est istud *animus* vel potius sensu cassum, et agitur his versibus de hominibus tantummodo in quorum manus libellos suos perventuros sperat poëta, non de eorum iudicio. Legendum ergo suspicor

et arte fictus animus sentit fabulas.

Egregie enim inter se iunguntur *aures cultae* et *animus artis fictus*. Quod deinde Bentleius legendum censet

bonas in partes lector accipiat velim,
ita si rependet illi brevitas gratiam.

poterat multo probabiliore emendatione idem sensus restitui; coniicio enim

bonas in partes, lector, accipias velim,
ita si rependet *istam* brevitas gratiam.

II, 4, 9.

Nam fodere terram quod vides quotidie
aprum insidiosum, quercum vult evertere.

Nescio an recipienda fuerit Bentleii coniectura *aprum, insidiosus q. v. e.* Minus enim recte adiectivum *insidiosum* nomini *aprum* epitheti ornantis instar additur, egregie vero cum illis coniungitur verbis quibus quas struat aper insidias significatur.

ib. 17.

Dolosa *tuto* condidit sese cavo

Cod. P. et prima manus codicis R. dant *toto,* pro quo codicis R. secunda manus habebat *tuto.* Utrum hoc recipiendum an legendum cum Heinsio *noto* nostri esse opinor arbitrii. Certe perperam Harius negat adiectivum *notus* absolute poni posse. Cf. versus Virgilianus de re simili

scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.

II, 5, 19—21.

Agnoscit hominem Caesar remque intelligit;
id ut putavit esse necio quid boni:
Heus! inquit dominus.

Qui versus 20 sensus sit minime intelligo; prae ceteris vero mihi molesta est coniunctio *ut.*

II, 1, 14.

Tum gaudens ferus
Bobus quietis agere coepit gratias.

Iure Bentleius pro *quietis* edidisse videtur *quietus.* Inepte enim illud adiectivum hic de bobus ponitur, sed rectissime cervus *quietus* i. e. tamquam iam vitato periculo, gratias egisse dicitur.

II, Epil. 3.

Patere honoris scirent ut cuncti viam.

Quocunque te verteris nunquam hunc versum persanabis; si enim *cuncti* legis, desideratur *sibi*, sin *cunctis*, verbum *scirent* suo obiecto caret.

5 sq.

Quoniam occuparat alter ne primus foret.

Ita codices; Bentleius *ut primus foret*; ante eum vulgo legebatur *ne primus forem*, quod probabilius videtur, quoniam verbum occupare vim habet prohibendi.

III. Prol. 60.

Ergo hinc abesto livor, ne frustra gemas,
quoniam sollemnis mihi debetur gloria.

Sensu cassum videtur *sollemnis*, pro eo Bentleius coniicit *perennis*; versum sic emendat Harius

Quum iam mihi similis illis debetur gloria,

metro elumbi sed aptissima sententia.

VII. Versus 21—24.

Affertur ultro panis; de mensa sua
dat ossa dominus; frusta iactant familia
et quod fastidit quisque pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.[1]

post 14

et otiosum largo satiari cibo

ponendo vereor ne ultro turbarit fabulam Nauckius. Sed vix concoquo vs. 20

crepusculo solutus qua visumst vagor
quoniam post illum inepte lupus rogat
Age, abire siquost animus, est licentia?

III, 8, 4 sq. Quid Phaedrus scripserit pro certo statuere non possum, sed nescio an codicum lectio *suppositum* manu ad veritatem ducat. Solebat enim, ut opinor, mater speculum suum, rem magni pretii, auro gemmisque ornatum, in loco tam alto ponere ut puer puellaque ne oculis quidem usurpare nedum manibus attingere possent; usi ergo illi sunt oblata facultate quum speculo forte *supposita* erat cathedra. Quid si coniiciamus

Hi speculo cathedra matris supposita ut fuit.

III, 10, 13—17.

Qui cum de puero multa mentitus foret
et plura de flagitiis castae mulieris,
adiecit, id quod sentiebat maxime
doliturum amanti, ventitare adulterum
stuproque turpi pollui famam domus.

Invito Phaedro additus videtur vs 14 *et plura de flagitiis castae mulieris*, qui et ineptissimus languidissimusque est et narrationis ordinem perturbat. Qui enim calumniator *adiicere* potuit adulterum ad uxorem patroni ventitare, si iam *multa* de puero, *plura* vero de uxoris flagitiis mentitus erat?

ib. 29 sq.

Lucerna allata simul aspexit filium
sanctamque uxorem dormientem cubiculo.

Ultimum vocabulum vix sanum esse mihi persuadeo: narratum enim iam est maritum uxoris cubiculum intrasse; exspectes aliquod adverbium verbo *dormientem* additum.

III, 11. Eunuchus improbo obiicienti „damnum amissi roboris" ita respondet:

> En, ait, hoc unumst cur laborem validius,
> integritatis testes quia desunt mihi.

Recipienda videtur codicis V. lectio *integritati meae.* Ineptissimus inest verborum lusus in responso, quod vel sic accipi potest: „ut integer sim corpore desunt mihi testes", vel „integer quidem sum (vitae scelerisque purus) sed quoniam eius rei testes afferre non possum strenua diligentia mihi efficiendum est ut homines optima quaeque de me credant".

III, 13, 13

> Tunc illa talem sustulit sententiam
> Bentleius: tunc illa hac litem sustulit sententia
> Müllerus: tunc illa tali ius tulit sententia.

Vulgatam haud inepte defendit Harius, qui *sustulit* dictum censet pro *tulit.* Habet enim hoc sermo Phaedrianus ut saepe composita pro simplicibus, simplicia pro compositis adhibeantur.

III, 16, 15.

> Una bibamus. Illa quae arebat siti,
> simul cognovit vocem laudari suam,
> cupide advolavit.

Pro *illa quae* Müllerus *illaque*, durioris, ut opinor, syniseseos vitandae causa. Sed perturbatur ea emendatione sententiarum structura.

L. IV, prol. 4 sqq.

Nam siquis talis etiam titulist appetens,
quo pacto damnabit quidnam omiserim.

Lacunosum locum sic explet Müllerus:

Nam siquis talis etiam titulist appetens,
quo pacto mihi petitast materia undique,
iam sedulo indagabit quidnam omiserim.

Sed satis obscurum hoc est supplementum; qui enim verba *quo pacto* explicemus?

IV, 2, 1.

Ioculare tibi videtur, et sane levi,
dum nihil habemus maius, calamo ludimus.

Quo iure Bentleius improbarit Heinsii lectionem *ioculares tibi videmur* non video: ea enim exsistit sententia admodum eleganter formata. Quid vs. 8.

Hoc ne locutus sine mercede existimer

significent vocabula *sine mercede* iuxta cum ignarissimis ignoro.

IV, 7, 12, sqq.

Namque et superbi luget Aeaetae domus,
et regna Peliae scelere Medeae iacent,
quae saevum ingenium variis involvens dolis
illic per artus fratris explicuit fugam,
hic caede patris Peliadum infecit manus.

Pro *illic* (15) legendum videtur *illinc: e* regno enim Aeetae fugit Medea, *in* Peliae regno dolum struxit quo Peliades patrem interfecerunt.

IV, 9, 10—12.

Tum vulpecula
evasit puteo, nixa celsis cornibus,
hircumque clauso liquit haerentem vado.

Verborum *clauso vado* sensum non perspicio. Quid enim? An puteum operculo clausit vulpes? Minime, ut opinor. Hoc enim agebat ut ipsa salva evaderet, non ut caper interiret.

IV, 17, 2 sq.

Hirci maerentes indignari coeperunt
quod dignitatem feminae *aequassent suam*.

Praestaret, ut opinor, *aequasset suae*; barba enim capellis data. Iupiter dignitatem feminarum marium aequaverat dignitati. Certe quod Müllerus dubitanter coniecit *femina aequasset suam* falsum videtur: eo enim sensu, quem Müllerus vult restituere, *aequaret* legendum esset, non *aequasset*.

IV, 19, 1—3.

Canes legatos olim misere ad Iovem
meliora vitae tempora oratum suae,
ut sese eriperet hominum contumeliis.

Versus 2 et 3 simul ferri non possunt.

IV, 25. Musca se suamque sortem his versibus extollit (5—9):

Moror inter aras, templa perlustro omnia,
ubi immolatur, exta praegusto deum,
In capite regis sedeo, cum visumst mihi,
et matronarum casta delibo oscula.
Laboro nil atque optimis rebus fruor.

Cui formica:

Est gloriosus sane convictus deum,
sed illi qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempe abigeris, cum venis.
Reges commemoras et matronarum oscula;
Super etiam iactas, tegere quod debet pudor.
Laboras nil ideoque, cum opus est, nil habes.

Hoc ordine versus 13—18 posuit Bongarsius, qui ante eum turbati legebantur. Sed transponendo non aptus praebetur sensus versui

super etiam iactas, tegere quod debet pudor.

Versu enim *Reges* — *oscula* formica respondet ad muscae dictum (7 sq) *in capite* — *oscula*, versu *laboras* — *habes* refellit versum 9 *laboro* — *fruor*; excidisse ergo ante vs. 9 versum credo ad quem respiceret istud

super etiam iactas tegere quod debet pudor.

Liber V, 2, 10—13.

Nunc conde ferrum et linguam pariter futilem,
ut possis alios ignorantes fallere.
Ego qui sum expertus, quantis fugias viribus,
scio, quam virtuti non sit credendum tuae.

Sicine vero? Num ideo silendum est iactabundo illi et condendum ferrum ut alios fallere possit? At magniloquentia et gladio stringendo falsam speciem fortis viri sumit. Rectissime omnia procedent si interpunxerimus post *futilem*, virgulamque post *fallere* posuerimus: „licet alios qui te ignorant fallas, at mihi semel iam ignaviam tuam experto non impones iterum."

V, 3, 2. Num recte aliquis dici possit sibi alapam *ducere* vehementer dubito.

V, 5, 12.

Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.

Quid hoc versu faciam nescio. Requiritur hic fere sensus: „diu ante spectaculi tempus iam loca deficiunt."

Append. II, 3 sq.

Nam cuncta nobis attribuisset commoda
quae cui Fortuna indulgens animali dedit.

Nonne pro *cui* opus est pronomine *cuique*? Quidni ergo legamus

quae cuique Fors indulgens animali dedit.

ib. 13 sq.

Fatalis annos decurramus temporis
nec plus conemur quam sinit mortalitas.

Ultimum versum improbat Nauckius et uncinis inclusit; minime tamen improbandus videtur: *mortalitas* enim dictum est sensu *τοῦ θνητοὺς ἡμᾶς γεγονέναι*, ut prudenter me admonet vir doctus et amicus v. d. Mey conferendo vs. 11 *nostra audacia*.

App. VIII. Miles quidam Pompeii cinaedus furti manifestus iureiurando se insontem declarat. Indignabundus Pompeius

id dedecus castrorum propelli iubet,
nec cadere in illum credit tantam audaciam.

Post aliquod tempus barbarus quidam unum e Romanis ad proelium provocat singulare. Omnibus metu silentibus

tandem cinaedus habitu sed Mars viribus
adit sedentem pro tribunali ducem,
et voce molli: licet? enimvero eiici
virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat.

Satis, credo, perspicuum est versum

nec cadere in illum credit tantam audaciam

transponendum esse post

enimvero eiici
virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat.

IX, 2. Iucunditatis causam non sprevit Venus.

Nauckius pao *causam* coniicit *ansam*, quam coniecturam falsam esse me docuit v. d. Mey afferendo IV Prol. 9.

Ergo non levitas mihi
sed certa ratio causam scribendi dedit.

XI, 8 sq. Iactantiam victoris gymnici, qui suas vires multo maiores quam adversarii fuisse contendit, sic coarguit Aesopus

Ferendus esses, forte si te diceres
superasse, melior qui fuisset viribus.

Ingeniosa emendatione vs. 8 correxit Halbertsma nostras: pro *forte* enim legendum esse vidit *arte*.

XIII, 19. Sensu cassum videtur

> oriturque sensus impotentis cupiditas

sed quid legendum sit me fugit.

XIV, 1, 5.

> Unam expetebant virginem iuvenes duo;
> vicit locuples genus et formam pauperis.
> Ut nuptiarum dictus advenit dies,
> amans dolorem quia non poterat perpeti,
> maerens propinquos contulit se in hortulos.

Mira brevitate insigne est narrationis initium. Vere amantem enim fuisse pauperem procum non dicit poëta sed divinandum lectori relinquit. Aliquem versum excidisse non est improbabile.

XV. Turpem dominam ridicule se exornantem ludit Aesopus dicendo

> Quidvis efficies cultum si deposueris.

Rogat illa

> Adeone videor tibi per me meliuscula?

Respondet Aesopus

> Immo, ni dederis, sponda cessabit tua.

Videtur ludere verbo *deposueris* Aesopus, quod deridendae dominae gratia ita interpretatur quasi idem sit quod *dederis*.

XVIII. Servus fugitivus ab Aesopo interrogatus de sorte sua sic queritur:

6. Plagae supersunt, desunt mihi cibaria;
subinde ad villam mittor sine viatico.
Domi si cenat totis persto noctibus,
sive est vocatus iaceo ad lucem in semita.
10. Emerui libertatem, canus servio
(Ullius assem culpae mihi si conscius
aeque animo ferrem), nunquam sum factus satur,
et super infelix saevum patior dominum.
Has propter causas et quas longumst prodere
abire destinavi quo tulerint pedes.

Versus 11—13 elegantiam huiusce narrationis (quam recte laudat Lucianus Müller de Phaedri et Aviani fabulis p. 12) turbant et querelae imminuunt acerbitatem.

XXI, 1—3.

Quidam per agros devium carpens iter
Ave exaudivit et moratus paululum,
adesse ut vidit neminem cepit gradum.

Pro *cepit gradum* Nauckius *carpit viam.* Quanto melius v. d. Mey *citat gradum* cll. vs. 12:

Qui festinantis sic detinuisti pedem.

et III, 2. 11.

et in cubile concito properat gradu

ib. 7. Cum circumspectans ore ita haesisset diu.

Quid sibi istud *ore ita*, quod Müllerus coniecit, pro *orrore* et *errore*, quod est in codicibus, velit non video. Legendum videtur *circumspectans omnia.*

XXIIII, 1.

Serpens lacertam forte adversam prenderat.

Quis sit sensus vocabuli *adversam* haud facile dicas, nisi forte censeas fere idem significare quod *obviam*, sed vel sic quoque languide et inutiliter esset additum. Quum vero versus 3 et 4

> Arripuit illa prope iacentem surculum
> et pertinaci *morsu* transvorsum tenens

doceant *ore* lacertam surculum arripuisse, parata est certa emendatio. Legendum enim *aversam*. Eodum sensu fugientes *aversi caedi* dicuntur.

XXV, 3 sq.

> Places tibi inquit, quia cui non debes places;
> sed non impune, quia cui debes non places.

Observandum est in fabulis, quae in sola Perotti leguntur anthologia, frequentissimum esse paronomasiae usum.

XXVI, 8.

> Venit, sed abiit *hinc* ad laevam; et dexteram
> demonstrat nutu partem.

Nescio an potior sit codicis V lectio *hac* quam Mülleri emendatio *hinc:* illi enim multo melius respondet quod sequitur

> et dexteram
> demonstrat nutu partem

„Hac ad laevam abiit" bubulcus ait, simulque ad dexteram monstrat: veritati ergo convenienter monstrat et in monstrando utitur vocabulo *hoc*; sed verbo *laevam* mentitur.

L. S.

Ridiculus quidam et ineptus morbus typothetarum diligentiae funestus fuisse videtur. Invitissimis enim me et fidelissimo adiutore meo sat multi in hoc libro errores relicti sunt, quorum gravissimos molestissimosque hic indico.

p. 1, lin. 22 *pertinant* l. *pertinent*.
„ 3, „ 16 *Anacharsi* l. *Anacharsidi*.
„ 38 ult. l. *anto* l. *ante*.
„ 42, lin. 1 *autum* l. *autem*.
„ 46, „ 19 *sum una cum (sim?)* l. *sum (sim?) una cum*.
„ 54, „ 15 *nenimem* l. *neminem*.
„ 56 post l. 17 add.: *nec generi tribui sed virtuti gloriam*.
„ 57, lin. 13 *uarratione* l. *narrationi*.
„ 57, „ 18 22 l. 21.
„ 60, „ 15 *ille* l. *illa*.
„ 62, „ 5 *qnorum* l. *quarum*.
„ 63, „ 21 *fero* l. *fere*.
„ 72, „ 24 *cod.* l. *cod.* V.
„ 76, „ 23 *impugnandum* l. *impugnandam*.
„ 110, „ 5 *tamtummodo* l. *tantummodo*.
„ 111, „ 11 *versibus enim* l. *versibus enim* 1—7.
„ 12 *vs.* 7 l. *vs.* 8.
„ 112, „ 16 *artis* l. *arte*.
„ 118, „ 16 *data. Iupiter* l. *data Iupiter*.
„ 121, „ 19 *pao* l. *pro*.
„ 124, „ 26 *hoc* l. *hac*.